


FORMA GREGIS
PASTOR EX ANIMO

Seu

De Dotibus ac Qualitatibus

In quolibet Superiore ad Regimen aſſumpto, requiſitis.

Opuſculum breviſſimum,

Quod

Ex variis SS. Patrum Sententiis, necnon Aſcetarum dictis ac geſtis, primò ad ſui eruditionem; deinde annuente Superiorum benevolentia, communi, omnium Superiorum, utilitati, deſerviendum,

compilavit,

Typiſque evulgari

curavit.

NICOLAUS STANISLAUS KIESZKOWSKI

Caſtro-Caſſinenſis, aliàs Horodiſcenſis ABBAS in Lithvania; Congregationis Benedictino-Polonæ.

Annô Domini 1774.

CRACOVIÆ

Typîs Collegii Majoris Univerſitatis.

In Aſciam Gentilitiam
ILLUSTRISSIMI & REVERENDISSIMI
M E C Æ N A T I S,
Epigramma.

Jupiter áùt ſuavi ſceptro, ſëù fulmine vellet
Flectere mortales, ASCIA ſemper ei
In manibus: Mundoque volens generare Minervam,
ASCIA Divinum ſcindere juſſa caput.
Præſuleam Benedicti Ordo venerare BIPENNIM!
Protegit illa bonos, terret & illa malos.
Fingere Mercurios optas? dedit ASCIA mille,
Stant, reparante illâ, Templa vetuſta DEI.

AD
ILLUSTRISSIMUM
&
REVERENDISSIMUM DOMINUM
D. FLORIANUM AMANDUM
de Janowek
JANOWSKI
S. Theologiæ DOCTOREM, Divina Vocatione Regii Archi-Cœnobii Tynecensis ABBATEM, CANONICUM Cathedralem Cracoviensem, Congregationis Benedictino-Polonæ PRÆSIDENTEM GENERALEM

EPISTOLA DEDICATORIA.

Quamvis optimè nôrim PRÆSES ILLUSTRISSIME *intentum meum, in opere istohoc contentum, non tanti fore momenti, ut, & omnigenæ Amplitudini* TUÆ *ex æquo correspondere, & meum erga* TE *officiosissimum satìs in propatulo declarare valeat Studium; nihilominus fretus novô benevolentiæ* TUÆ *argumentô (quòd scilicet minimam hancce testificationis meæ notulam spernere non dedignaris)* Opusculum *hoccè,*

etsi perexiguum, TUIS *tamen sub auspiciis publico porrigendum censui. Enimverò ignorat nemo, hominem me esse innumeris certè beneficiis* TIBI *maximè obstrictum, atq; vel inde nôrint omnes*, TIBI *præcipuè deberi illud, quidquid ex meo, quacumq; demum ratione prodire potest. Accedit insuper, Authorem Opusculi hujus Virum videlicet* TUI *cùmprimis observantissimum*, TIBIq; *multîs jam olim nominibûs addictissimum nihil magis in votis habere, quàm ut in specimen obsequii erga* TE *sui, hoc ipsum* TIBI, *duplici utiq; ex causa, nuncupetur. Cùm enim omnium Pastorum Supremo Pastori*, TE, *super Plebem suam, binô jam trilustrî, vigilem ac fidum constituere placuerat Pastorem; ut scilicet Oves* TUÆ *vocem* TUAM *audiant*, TIBIq; *cuncti obediant; id ipsum primi origo fuit, ut à* TE *potissimùm auspicia peterem, qui hosce operis conatus, non modò Suprema Præsidentiali Authoritate Nostrates inter promovere; verùm etiam ingeniô ac eruditione, infallibilibûs acsi Testimoniis ad aliorum quoq; commendationem propagare ex* TE *sufficiens sis ac censearis. Porro, ex quo Pastoris Primi in Alma Congregatione nostra Benedictino-Polona*

fun-

fungaris vice, vigilias scilicet, super custodiam alicrum Regimini TUO subjectorum, exerendo Pastorum, alterum præstò devolvendi ad TE hujus libelli motivum habes, quando quidem Pastoralium verborum sonô unum ex his, qui pascant Gregem Patris sui susurrantem audis. Quiq; nuper de TUA manu, praviâ Benedictione, Pastorale sumpseram pedum, Pastoriciæ curæ meæ aliquale saltem Antistiti Pastorum exhibeo monumentum. Quando igitur ex his animum meum impellentibus motivis Opusculum istud TIBI omnino, & non alteri dedicandum venit, deceret utiq; pro coronide, imò veriùs pro ratione & ordine dedicatoriæ hujus Epistolæ, aliqua de TUIS, ut illi intexerem encomiis, præviè tamen hoc in puncto à TE monitus, ut scilicet modestiæ TUÆ etiam à justis præconiis abhorrenti, morem gererem, syllabum incomparabilium Laudum Tuarum subtrahere studii. Satis pro TUI honorificentia Nostrumq; Gloria insinuâsse me arbitrans, quòd TE maximarum virtutum ac dotum collectio (quæ Virum omni ex genere reddere solent Illustrissimum) Supremi simulq; Optimi Moderatoris nostri Titulô cohonestaverit, Patremq; Patrum esse

volu-

voluerit, usq; adeo, ut ex TUO *auspicatissimo Regimine totus noster per Poloniam Magnumq; Ducatum Lithvaniæ propagatus Ordo, non modò in Reformatione Regularis disciplinæ, cultuq; Literarum maxima sumpsisse glorietur incrementa, verùm etiam optima quæq; sibi in posterum pro futura polliceri commoda, extra dubium habeat. Ergo* PRÆSES ILLUSTRISSIME *meam hanc in* TE *voluntatem, Studiumq; contemnere noli. Accipe potiùs hanc ingenuam. Cultus atq; observantiæ significationem, simulq; suscipe votum: ut non modò sextum Supremi ac Florentissimi Regiminis* TUI *in plenitudine Divinæ benedictionis, quâ ubertim hactenus fuisti repletus, decurras annum, verùm & per longam, eamq; felicem succedentium annorum seriem charæ Patriæ Nostræ Bonoq; Publico præesse non minùs ac prodesse valeas. Ita submississimo cordis affectu voveo. Simulq; profundissimo cultu perennare cupiens.*

Scripsi in Monasterio ad S. Annam Castro-Cassinë: 1774. Annô. 20. die Mensis Junii.

ILLUSTRISSIMÆ & REVERENDISSIMÆ DOMINATIONIS VESTRÆ Devinctissimus Cliens & Servus subjectissimus STANISLAUS KIESZKOWSKI Abbas Castro-Cassinen: C. B. Pol. m. pp.

PRÆFATIO.


Quandoquidem ex Supernæ Dispensationis arbitrio è Scholastico gradu, nuper ad Regimen Monasterii Castro-Cassinensis, invitus licìt, suffragiis tamen Fratrum evocatus, nomen Abbatis suscipere jussus sim, respiciens illico ad partes ac munia officii, humeris meis primitus, impositi, ea potissimùm sollicitudine protinus animum meum præventum esse censui, quatenus juxta monitum SSmi Patris ac Patriarchæ nostri Benedicti, nomen Abbatis, id est Majoris non modò dictîs, verùm etiam factîs adimplere ex animo conarer. Cùm verò ex Definitione Synodi Tridentinæ munus Superiorum in pastoratu curaq; animarum consistens, grave esse pondus, imò onus ingens etiam Angelicis humeris formidabile intellexerim, in re igitur tam ardui momenti, ut, quàm optimè mihi prospicerem, in ipso statim tyrocinio Pastoralis Curæ, me totum ad ea, si non assequenda, imita-

imitanda ſaltem ac exequenda convertendum eſſe duxi, quæ homines ſimili aliàs in gradu Superioralis præeminentiæ quondam conſtitutos, non modò DEO charos, verùm etiam in ſuſcepto ejuſmodi miniſterio ſatìs, imò plusquam commendabiles reddiderê, juſtum ac perquam utile æſtimans, eorum præcipua dicta ac geſta non modò ſola lectione evolvere, verùm etiam ſolerti adnotatione conſignare. Quando autem eò deventum eſt, ut opus hocce mole ſatìs perexiguum, ſpeciali Superiorum benevolentia accedente luci tandem publicæ communicaretur, id ſolum mihi supereſſe videbatur, ut quæ egometipſe exinde ſortitus ſum quàm plurima emolumenta, aliis etiam, potiſſimùm tamen ad Regimen animarum aſſumptis, non jam æqualia, verùm quàm maxima apprecarer commoda, certò certiùs fidens, quòd hocce opuſculum etſi indigeſtum, ſuas tamen ad manus devolutum non modò favorabili ſinu ſint complexuri, verùm etiam affectum Authoris pro rato et grato habituri.

Dotes

Dotes & Qualitates
In quolibet Superiore ad regimen aſſumpto requiſitæ.

Scientia Prælatis neceſſaria.

I. Eminem latet, Paſtorali munere fungenti Scripturarum Scientiam, morumque integritatem ex aſſe congruere. Verùmtamen ſi libera nobis daretur optio, ſatiùs foret, Præſules ampliorî doctrinâ, mediocri licèt Sanctitate, fulgentes, præ aliis minùs doctis, licèt Sanctioribus eligere. Eò autem Prælatorum ſcientia præſertim ſpectare debet, ut quàm grave ſit cæteris imperandi onus, quàmque arduum periculis ſcatens animarum regimen, manifeſtè intelligant. Quis enim valeat id muneris dignè ſubire, ritèque perſolvere, cùm nonniſi extrema urgente neceſſitate, ac obtemperandi ratione amplectendum videtur,

nec nisi periculosè sustinendum? Multum profectò est subditorum saluti, vel cum propriæ vitæ discrimine jugiter operam dare, nec semetipsum aliquando negligere, omnem totius Monasterij remsive intùs, sive foris dirigere, nec unquam ab interiori Spiritûs compunctione declinare, quidquid mundus offert, flocci pendere, solius Gloriæ Cælestis intuitu, totîs misericordiæ visceribûs fratrum, pauperumque egestati sedulò prospicere absque ullius motu defectus: Ex purissimis Scripturarum ac Traditionum scatebris sapientiæ salutaris aquas continuò educere, queîs, tùm sterilia fæcundentur ingenia, tùm identidem consulentium dubia diluantur: Tanta charitate affluere, ut inferiorem neminem non attingat, adeò fortî, ut nihil adversi reformidet, adeò fervidâ, ut nunquam tepescat, denique tam sincerâ, ut quæ sua sunt nullatenus quærat. Præterea singulorum ætates, affectionesque prudenter discernere, & ad ipsas studiosè se conformare; tyrones nempe patienter benignè monendo, imbecilliores indulgentiîs tolerando, animô denique fortiores ad majora nunquam non excitando. Quidquid vel minimam dominandi jactantiam redolet, ceu lethale virus penitùs vitare; nihil unquam præcipere, quin priùs ratione svadente, aut blanda exhortatione alliciantur subditorum

torum animi; Quemquam non redarguere, nisi ex charitatis zelo, vel saltem absque ulla cordis amaritudine, cùm alicujus pervicaciam opus erit infringere; neminem, nisi invitè punire: inferiorum benevolentiam eò solùm captare, ut magis juventur: Authoritatem propriam non adhibere prætterquam vel ad majoris boni incrementum, vel mali, sive evitandi, sive mulctandi rationem, regularis observantiæ leges nunquam relaxare, nisi vel charitatis, vel magnæ necessitatis impulsu, tandem omnibûs istîs ad unguem expletîs se nihilominus tanquam servum inutilem dicere. Porro hactenus dicta non nisi perbreve eorum sit compendium, quæ in Sacra Pagina & in Almi Patris Benedicti Regula continentur. *Joann. Mabbilonn. de Stud. Mon. Cap. 21.*

2. Quemadmodum (:enim:) Religiosorum Cænobia absque Præpositis subsistere nequeunt, dici etiam poterit, de lege ordinaria loquendo, nec aptos ad eorundem regimina posse sine scientiis Superiores aliquos inveniri. Ejusdem prorsus necessitatis videtur esse doctrina in Superioribus, qualis est dux iter habenti, vel nauclero nautica pixis. Propterea tunc est, quod inter dotes quæ ex singulis antiquioribus Regulis in Abbatibus debere

 esse

esse prænotantur, Scientia semper atque sapientia cum morum rectitudine referuntur: Sic etiam Cap: 64. præscribit SSmus Patriarcha noster Benedictus *Vitæ merito & sapientiæ doctrina* &c. & re vera? quis unquam percipere valeat, absque ullo scientiarum apparatu Religiosorum Prælatos muneris sui partes implere? præcipuum quod ipsis onus incumbit, est proprios erudire subditos, sanamque ipsis doctrinam tradere, scilicet juxta germanum Scripturarum, Sanctorumque Patrum sensum, item eosdem præmunire contra quodlibet errandi periculum, & adversùm quaslibet satthanæ calliditates & illusiones, ipsis viarum latebras, & offendicula indicando, ut rectam virtutum semitam ingrediantur. Rursus eorundem difficultates explanare, quandocunque prodet se occasio; donec ipsos identidem redarguere, & ad bonum frequentibûs monitîs dirigere. Quî autem fieri potest, ut singula hæc munia ritè ab iis persolvantur, absque ullo scientiarum munimine? Poterunt quidem aliqui naturali duntaxat intelligendi acie præditi, vel etiam modico acquisito lumine sufficientem habere vim pro intelligentia Librorum Sacræ Paginæ captu faciliorum, puta proverbiorum, quatuor Evangeliorum, nonnullorumque operum Sanctorum Patrum, quæ minùs in se difficultatis habere

bere videntur. Verùm ut hæc omnia aliis communicentur: hoc eſt, quod regulariter ſine ſtudiorum adminiculo fieri nequit. Verumenimverò magis magiſque ſcientia Regularium Prælatis neceſſaria tunc cenſebitur, ſi Eccleſiaſticas conſulentes Hiſtorias ſpectemus, ob eminentem gradum, quo Abbates plurimi fuêre in Eccleſia inſigniti: cùm ſiquidem varia olim celebrarentur Concilia, plerumque etiam iis tenebantur adeſſe, propriam coram Patrum conſeſſu aperire ſententiam, ipſisque tandem ſubſcribere. *Idem de Stud: Monaſt. P. 1. C. 3.*

3. Memor ſit ſemper Abbas, quia doctrinæ ſuæ, vel diſcipulorum obedientiæ utrarumque rerum in tremendo Judicio DEI facienda erit diſcuſſio - - - Ergo cum aliquis ſuſcipit nomen Abbatis, duplicî debet doctrinâ ſuis præeſſe diſcipulis: id eſt omnia bona & Sancta factîs ampliùs, quàm verbîs oſtendere, ut capacibus diſcipulis Mandata Domini verbîs proponat, duris verò corde & ſimplicioribus factîs ſuîs Divina præcepta demonſtret. Omnia verò quæ diſcipulis docuerit eſſe contraria, in ſuis factis indicet non agenda: ne aliis prædicans, ipſe reprobus inveniatur. - - - In doctrina namque ſua Abbas Apoſtolicam debet illam ſemper formam ſerva-

ſervare, in qua dicit: Argue, obſecra, increpa, ideſt miſcens temporibus tempora, terroribus blandimenta, dirum Magiſtri, pium Patris oſtendat affectum. *S. P. N. Benedictus Reg. ſuæ C. 2.*

4. Porro Abbas, & Prælatus ſeu Superior omnis quòd verbo debeat docere ſuos ſubditos, inde colligitur: quòd ejuſmodi paſtus ſit ille, quem Spiritualis Paſtor ovibus ſuis debet, ut ſcilicet ex viridario Scripturarum optima depromens paſcua, nutriat Spiritum Subditorum, ita, ut velut adipe & pinguedine repleatur anima eorum: Juxta illud quod dicitur Jere. 3. *Dabo vobis Paſtores juxta cor meum, & paſcent vos ſcientiâ & doctrinâ.* Unde benè S. Benedictus in alio Capite Reg. ait: quod *Abbatem oportet eſſe doctum in lege Divina, ut ſciat, & ſit, unde proferat nova & vetera* Certè ex defectu ſapientiæ Guilelmus de Paroldo dicit contigiſſe, quod; Parvuli, qui intrabant Monaſteria, non „proficiebant, imò præ defectu Cibi Spiritualis peribant: Si enim petebant panem, non erat, qui „frangeret eis. Et poſt pauca. Ex eadem cauſa „contigit, ut de rebus maximis in Monaſteriis minima,[a] & de minimis maxima cura haberetur. Corpora curabantur ſplendidè, & non curabatur de „animarum refectione. Si amittebatur aſina, quæ-

„reba-

„rebatur, & si peribat anima, non reputabatur. *Eustach.* Janka *in suo Favo Mellis.*

II. Conditiones in Prælatis requisitæ.

5. Requiritur in Prælato *primò*, ætatis maturitas, *secundò*, honesta admodùm personalitas, *tertiò*, vitæ irreprehensibilitas, *quartò*, quod non sit idiota in Literarum scientia, *quintò*, quod sit discretus, & providus ex naturali industria, *sextò*, quod sit zelator justitiæ & Ordinis disciplinæ, *septimò*, quod sit tractabilis per mansvetudinis lenitatem, *octavò*, quod sit compassivus pietate Fraterna, *nonò*, quod sit devotus habens Orationis usum & fiducialiter agens cum DEO. *decimò*, ex gustu internæ dulcedinis ejus & experimento crebro exauditionis, qui semper in officio esse se doleat, & tamen cùm ad hoc compellitur, æquanimiter illud ferat, nec propter hoc, ut citiùs absolvatur ab officio, negligentiùs se in eo gerat. *undecimò*, quod corporis imbecillitate à communi vitæ observantia non omninò impediatur. Istæ conditiones simul omnes in paucis reperiuntur. *S. Bonavent. Libr. Apologet. Q.* 5.

Prælá-

Prælati Orationi jugiter debent insistere.

6. Præcipuè Rector studiosus esse debet devotionem habere, per quam semper informetur, quid faciat, adjuvetur ut possit, conservetur ne deviet: non enim pro se solùm orare necesse habet, sed etiam pro illis, qui sibi cnmmissi sunt, quos non sufficit sine Divino auxilio custodire. Nam nisi Dominus custodierit Civitatem &c. Est enim Prælatus mediator inter DEUM & Subditos, ut, sicut negotium DEI gerit, apud illos docendo, corrigendo, sursum agendo; ita etiam negotia eorum studeat apud DEUM fideliter promovere placando, gratiam impetrando, & conservando à malo: unde scriptum est. Ego sequester & medius fui inter DEUM & vos. *Idem de sex alis C. 8.*

7. Aliqui siquidem cum delinquunt, tegunt, palliant, defendunt, & virus interiùs latet, & licèt Rector ex certis indiciis deprehendat ibi saniem putridam esse collectam, tamen non ita erumpet exteriùs, nec per evidens testimonium, nec per voluntariam Confessionem, quod possit opportunè ferro apertæ correctionis secare, Si corripit,

non

non profuit, & videtur magìs vitiorum diffamator, quàm vitiorum corrector. Sed non movetur, & dissimulat: uritur & anxiatur, tam pro anima Fratris, quàm pro se; quia non corripit delinquentem. Cùm ergo aliquod congruè facere non possit, portet, dissimulet, patientiam suam exerceat, & quod arguendo non valet, orando laboret obtinere, ut aut DEUS citiùs demum corrigat, aut latentem ejus malitiam detegat, aut aliquod remedium apponatur. Sicut Dominus Judam Proditorem diu tacitè toleravit, quòd eum apertè non corripuit, donec in tantum iniquitas ejus crevit, quòd per se patenter erupit. *Idem Ibid. C. 7.*

8. Omnis qui petit, utique humiliter, fideliter, perseveranter accipit, qui quærit, invenit. Quam ob rem Prælatus sit in Oratione assiduus, & postulet pro seipso à DEO, qui omnibus dat affluenter, & non improperat, Sapientiam ad gustanda Cælestia, ne mens illius delectationibus terrenis inhæreat; flagitet intellectus lumen ad penetranda Sacramentorum arcana, immundorumque Spirituum deceptiones fallaces evitandas, ne noxiarum opinionum labatur involucro. Consilii donum exquirat, ad apprehendendum insinuandumque quid perniciosum, quidve proficuum sit, tàm sibi, quàm

cæteris ad ſe accedentibus, ne petra efficiatur ſcandali, & in illam impingant, qui ſimpliciter gradiuntur. Fortitudinis conſtantiam poſtulet ad tolerandum perſecutiones & bella, quæ à dæmonibus pariter & hominibus inferuntur, iis, qui in Chriſto piè verſari deſiderant, ne puſillanimitate frangatur, & eliſus ſuccumbat. Scientiæ ſenſum ſibi infundi deprecetur aſſiduè ad prudenter tractandum, ſicut propria, ita & aliorum negotia; ne unde proficere ac prodeſſe debuit, inde damnetur. Pietatis affectum expoſtulet, ad compatiendum ſubveniendumque calamitatibus egenorum, ùt periclitantium preſſuris, ne pro miniſterio fraternæ dilectionis ſibi credito judicium adverſum reportet. Timoris filialis gratiam in Oratione deſideret, ut non frangatur in adverſis, neque elevetur in proſperis, ſed humilitatis & rectitudinis conſtitutus in medio, tranſcendendo temporalia ſemper futura & æterna proſpectet. Petat quoque pro cæteris eadem dona, pro illis præſertim, pro quorum defectibus eidem injuncta eſt cura. Oret inquam, ut ignoſcatur illis, ut gratiam conſequantur, & convertantur ad Dominum, ut de tenebris eruantur, & transferantur ad lucem, ut de morte peccati reſuſcitati perſeverent in vita. Verùm ſi fame, ſi gladiis, ſi peſte plectuntur, tunc ſine intermiſſione in-

cum-

cumbat precibus, seque pro populo opponat ferienti, si quomodo valeat Judicis sævientis mitigare sententiam. sic namque Moysem fecisse, sic egisse Aaron, sic David, Sacra narrat Historia. *S. Laurent. Justin.*

9. Lectio in Scripturis Sanctorum replet animam incomprehensibili admiratione ac lætificatione Divina. Ex quo fit, ut Superior illi addictus cum assiduitate, & congrua dispositione inde maximam possit pro sui interiori profectu haurire utilitatem, si enim vitas Sanctorum legit, in illis observat pugnas contra hostes, à quibus ipse quotidie impugnatur: gloriosas victorias, quas reportârunt; quomodo eluserint tentationes per honorificum secessum eorum pedicas, insidiasque evaserint, quàm generosé (: cùm causa Divini honoris vertebatur :) sua bona, corpora, vitamque ipsam exposuerint, quomodo in animarum regimine se gesserint, qua sollicitudine, industriâ, quibus mediîs ad eas perficiendas usi fuerint: quomodo omnes virtutes exercuerint, passiones mortificaverint, naturam suam domuerint, & ex mundo sepulchrum effecerint. Verbo, lectio vitæ principiorum & præceptorum talium Sanctorum informat Superiorem adeò circa particularia quæque, ut ei pro experi-

mentis deserviat, præterquam quòd ex illa, velut benè instructo pharmacothecio seligere possint remedia pro cunctis suis ac aliorum infirmitatibus. *Jochan. le Cont.*

10. Instet frequenter orationi, & si non possit diu mentali, vel vocali Orationi vacare, suppleat per internam cum DEO amicitiam, quam plurimi æstimet, & ad quam pro quocunque negotio, ut se suosque juxta viam Domini rectè dirigat. In Oratione autem præsertim in Sacrificio Missæ (: omni semper devotione, & ædificatione peragendo:) commendet omnes suos, & illos potissimùm, quos scit versari in negotiis majoribus, vel eos, quos itidem cognoscit esse fragiliores, periculis majoribus, aut tentationibus molestioribus expositos & afflictos, pro his se suique spiritûs medullas impendat, ut DEUS pro bonitate sua Unigeniti Sui meritis, in sua servitute & protectione, amore & svavitate solita, unà omnes conservet, & acceptabiles sibi reddat. Credat Superior, & firmissimè sibi persvadeat, quòd tempus Sanctissimè impendat, si illud ejusmodi recollectionibus, & sanctis suspiriis tribuat; ubique cum DEO de suorum directione in spiritu agendo. *Greg. Abb. mem. Can. de Abb. C. 1.*

11.

11. Studeat maximè totum diem in conſpectu DEI ita diſponere, ut ipſe cum ſuis ſpiritu & charitate ac zelo Gloriæ Divinæ ubique ambulet, & vivat. Inveniet ibi remedia & motiva, quibus ſuos excitet, admoneat, & corrigat, ſæpiùs revocet in mentem quæ propoſuit, an in opus redacta ſint? ſi non, quæ fuerint impedimenta & radices? exactiùs ëxpendat in examine generali, & poſt illud in conclavi diutiùs perpendat, notando, quæ fieri debuiſſent, & quid factum non ſit, & quomodo emendari id faciliùs poſſit? &c. *Idem Ibid.*

12. Rectores animarum ſummi Paſtoris Chriſti veſtigia imitentur. Interdum namque declinent tumultus hominum, fragores externarum actionum, quæ procul dubio diſtrahunt animum, & rapiunt per diverſa. Redeant verò ad ſe, & ſubeant orare in montem, poſt cujus utique Orationis exercitium denuò revertantur ad opus, quatenus pro Spirituali conſolatione percepta in labore ſint alacres, ſint in adminiſtratione ſolliciti, & in omni ſua exercitatione devoti. *S. Laur. Juſt. de Inſtit. & Reg. Prał. C.* 11.

13. Si quis indiget ſapientiâ (: inquit Jacobus:) poſtulet à DEO, qui dat omnibus affluenter & non im-

non improperat, & dabitur ei. Hac ſiquidem exhortatione admonitus, quiſquis ad Regiminis eſt honorem aſſumptus, onereque gravatus corporis, & cordis, flexîs genibûs ſe ſtatuat ante DEUM. & humili prece, devotaque ſupplicatione Divinam Clementiam fideliter depoſcat dicens: DEUS Omnipotens, Pater Domini noſtri JESU Chriſti, & & Domine miſericordiæ totius conſolationis & ſpei, qui feciſti omnia Verbo Tuo Tibi coæterno & ſapientiâ Tuâ conſtituiſti hominem, ut dominaretur creaturæ Tuæ, quæ à Te facta eſt, ut diſponat Orbem terrarum in æquitate, & juſtitia, & directione cordis judicium judicet, da mihi ſedium Tuarum aſſiſtricem Sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis, atque ſegregare à Sanctis Tuis, veriſque rationabilium ovium Tuarum Paſtoribus, qui Tibi in hoc opere placuerunt ante me, Tu enim ſuis (: o Bonitas ſempiterna, ac ad Te confugientium refugium, gaudiumque ſingulare!) quia homo infirmus & ignarus ſum, atque minor ad intellectum judicii & Legem. Tu verò me elegiſti in Præſulem & Ducem populi Tui, ut ipſum ad Te dirigam Summum Paſtorem, & (: quantum in me eſt:) introducam in paſcuis virentibus Civitatis Tuæ Hieruſalem Cæleſtis, Teque laudet cum cætibus ſpirituum beatorum in æternum. Nunc

autem

autem Dominator Domine ſcio, atque confiteor, quia Tecum eſt Sapientia, quæ novit opera Tua, & tunc afficit cum Orbem terrarum feceris, & ſciebat quid placitum ſit in oculis tuis, & quid directum in præceptis Tuis. Mitte igitur (: quæſo Clementiſſime Domine :) de Cælis Sanctis Tuis, & à Sede magnitudinis Tuæ illam, ut mecum ſit, & mecum laboret, ut ſciam quid acceptum ſit coram Te omni tempore, ſcit namque illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis ſobriè, & cuſtodiet me in ſua potentia, acceptaque erunt opera mea, & ipſa mediante diſponam populum Tuum juſtè, & dignus ero gratiâ tuâ & conſortiô Servorum Tuorum, qui in hoc miniſterio Tibi laudabiliter ſervierunt. Hæc & his ſimilia non cum ornatu verborum, neque humana hominum æſtimatione & laude, ſed ſolùm ut placeat DEO, ut proficiat proximo, ut conſcientiæ ſatisfaciat debito, & ut conſpectui Divino irreprehenſibilis appareat, in oratione petat humiliter, devotè, atque fideliter. Nempe Oratio humilis quodam ſpirituali alarum remigiô evecta ſine ullo impedimento Cælos penetrat, devota autem charitatis contubernio ſociata ſummi æterni Regis læta ſe præſentat obtutibus. Quæ verò abſque hæſitatione in fide fundata eſt, nequaquam repelli poteſt, quin potiùs

conſe-

consequitur, quod justè poposcit, sicut ipsa Sapientia pollicetur dicens: amen amen dico vobis, quidquid orantes petitis, credite, quia accipietis. Postulet inquam orando non semel tantùm, vel bis, sed quotidie, sed frequenter, sed quoties fuerit oportunum. Nam quemadmodum oportet jugiter, ut Præsul judicet, ita expedit, ut sæpissimè oret, oret utique, ne circumveniatur à proximo, ne seducatur à seipso, & ne subvertatur ab amore privato. *Idem Ibidem C. 15.*

14. Quantò Spiritualibus Viris Prælatus præeminet, tantò magis curiosè studeat, ut inter illos præfulgeat Sanctitatis claritate, inter quos viros luminosos præeminet dignitate. Et facta comparatione Spiritualium dispensatorum, & temporalium administratorum, necnon & orationi insistentium, & operi vacantium semper inveniatur celsior, habeatur Sanctior, dignior judicetur, sapientior reputetur, ut illud ad Corinth. eidem in comparationibus adaptetur, de quo per Apostolum dicitur. Alia Cælestium gloria, alia terrestrium, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum, Stella enim à stella differt in claritate. *D. Bernard. Cassin. Specul. Mon. P. III. C. 1.*

15. Cùm Superiores multo lumine opus habeant, ut Religiosos suos rectâ ad perfectionem ducant, gratiîs ad dirigendos, & in bono promovendos animos penitùs diversos, & subinde molestos; misericordiâ, ut compatiantur infirmis & imperfectis; consolatione, ne inter amaritudines, & contradictiones emergentes animum despondeant; & assistentiâ, ut dum aliorum salutem, profectumque procurant, propriam quoque operentur salutem. Oportet ut cum sancto fervore & confidentia omnî horâ ad DEUM per Orationem accedant, se illi cum magna rectitudine & puritate intentionis ac conscientiæ, quæ sunt vera media eidem placendi & adhærendi uniant, & consequenter effusionem bonitatis ejus percipiant. Inquire diligenter, quomodo hìc te geras, & qui nam fructus tibi inde proveniant? Quodsi te aliquando sentis in tenebris, totum dejectum, tristem, & tædiosum ob sinistros successus tuæ administrationis, nulli alteri causam adscribas, quam defectui unionis & singularis communicationis cum DEO. *Iochan. de Cont. disput. Die 4.*

16. Nemo ignorat Superiores habere quotidie plurima negotia difficilia & intricata, quæ expedire debent; ne ancipites hæreant, quid sit agendum?

quando monendus, vel corrigendus est Religiosus dissolutus & molestæ indolis! neve ambigui titubent in eligendis mediis, quæ adhibere oportet ad medendum vel providendum diversis necessitatibus, aut spiritualibus suæ communitatis. Ecce! cur necesse habeant Superiores continuò recurrere ad orationem, ut pote, quæ juxta dictum S. Isidori Abb. orat. 4. qui id sæpius est expertus, est *lux animæ.* Oportet ut à DEO instanter flagitent donum sapientiæ, non solùm ad deponendum affectum erga res terrenas, & gustanda Cælestia; verumetiam ut in suis perplexitatibus illuminentur & dirigantur, debent petere donum intellectûs, ut penetrare queant Divina mysteria, detegere insidias, & artificia dæmonum, & tenebras conscientiæ dissipare: debent rogare pro bono consilii, ut bonum dare valeant suis Religiosis, eosque conformare ordini æternæ Prudentiæ. Unô verbô, quemadmodum necesse habent, ut quotidie se resolvant, & judicium ferant de materiis & occasionibus, quæ illos suspensos propter difficultates in illis apparentes reddunt, ita semper vacare Orationi debent, ut in ea illuminentur, ne fallantur in suis resolutionibus, sequendo sententiam magni Antistitis S. Laurentii Justin: quemadmodum oportet jugiter, ut Præsul judicet, ita expedit, ut sæpiùs oret. *Idem ibidem* 17.

17. Conſidera Moyſen videntem ſe oneratum regimine populi Iſraelitici frequenter recurriſſe ad Orationem, & Tabernaculum pro conſulendo DEO ſuper dubiis, & difficultatibus ſibi obtingentibus, & recipiendis exinde illuſtrationibus, & convenientibus reſolutionibus, unà cum animo & viribus requiſitis ad tolerandum laborem, & faſtidium, quæ ipſi generabant, levitas, & petulantes impetus inconſtantis populi iſtius, ita ut per frequentes ejusmodi communicationes, tantam cum DEO familiaritatem aſſecutus fuerit, ut ſcriptura dicat. *Loquebatur Dominus ad Moyſen facie ad faciem* ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum. Atque hoc eſt, in quo ipſum boni Superiores debent imitari. Alii id non faciunt, quinimò totum contrarium agunt: ſi negotium aliquod intricatum obveniat, ſi miſer Religioſus delinquat, ſi afflictio aliqua, vel infirmitas eum invadat, cùm deberent recurrere ad Dominum noſtrum, Ipſum ſæpiùs viſitare in SSmo Altaris Sacramento, & tempus aliquod extraordinarium impendere Orationi cum fide & ſpe in auxilium miſericordiæ ipſius, nonnulli humanam Sapientiam conſulunt, nihil ſomniant, niſi media ſe à moleſtiis eximendi, majoremque fiduciam collocant in ſolatiis & remediis naturalibus, quàm in DEO;

Vide, quomodo tu in ejuſmodi occaſionibus te geras. *Idem Ibidem Medit. Die 3.*

18. Tu quia Superior es, & Perſona publica, per privatam amoroſam communicationem ex DEO haurire debes inſtructiones, vires, lumina & ſenſus bonos, ut ea poſtea diſtribuas, imprimaſque tuis inferioribus. Ne mihi objicias negotia & functiones diſtractivas, officii tui tempus vacandi Orationi tibi ſurripere; cùm ſatis temporis poſſis invenire pro quiete, & convenienti refectione corporis tui. Et alias hic non exigitur plures quotidie eidem horas impendere, ſed ſatis ſit, ſi veluti furtim aliquoties viſites Filium DEI in SSmo Sacramento, & præmiſſa adoratione, Ei ſimpliciter, & confidenter tua deſideria, & negotia exponas. Hæ namque ſunt breves, occultæ, & ferventes preces, de quibus non nemo Sanctorum (:Petrus Damian:) ait, furtivæ Orationes vim inferunt Cælo, & indulgentiam rapiunt. Quodſi quandoque vel aliis occaſionibus Dominus noſter te ad longiorem converſationem invitat, donatque acceſſum adſe per quaſdam teneritudines & motus devotionis, ne ſermones bonitatis ſuæ recuſes, ſed ſatage, ut iiſdem bene utaris, & ex illis pro te & aliis fructum capias. Porrò medium ſemper orandi eſt, ſeſe ſem-

per

per firmiterque in suavi & continua DEI præsentia continere, ut cùm maximè occuparis, possis ex corde cum ipso loqui: quod magis respicit DEUS, quàm si quis ore precetur, ut asserit S. Bernardus: neque enim verba deprecantis DEUS audit, sed orantis cor aspicit. *Idem Ibidem Die 4. Medit. 2.*

19. Alias Superior Orationi non deditus, non est capax faciendi fructum in regimine animarum. Ipsius verba & actiones parum habent ponderis & efficaciæ: ipse destituitur viribûs, & vigore ad oppugnandas vincendasque difficultates atque tentationes, quarum occasiones quotidianæ sunt. Breviter, nec consideratur, nec æstimatur à suis Religiosis, qui eum rarò videntes in commercio & unione cum DEO, non possunt de illo magnam concipere opinionem, aut sibi persvadere Ipsum esse Virum Spiritualem & illuminatum. Regredere in te ipsum, ut veraciter discas, an Sanctum hoc exercitium diligas? num illud sæpè cum gustu & tranquillitate frequentes? Si contrarium deprehenderis, ne credas, te unquam in officio tuo magnum posse operari profectum, tuasque actiones atque sermones vim habituros corda tangendi & penetrandi. *Idem Ibidem.*

20. Superior, ut benè præsit; Oratione, Missæ sacrificiô, Piorum precibûs, ac provectorum consiliô obtinebit. Quod sanè postquam ambitione nulla elatus, sed à DEO ad Prælationem promotus fuit, fidenter poscere poterit, atque debebit. Timeant sanè illi, qui adversûs Christi consilium primos quærunt accùbitus. Verùm qui à DEO vocatur tanquam Aaron, speret procul dubio DEUM sibi fidissimè affuturum. *Ioan. à IESU de Reg. Monast. P. 4. C. 50.*

Prælatus debet esse exemplum, & norma agendorum.

In contemptu sæculi.

21. Negari quidem non potest, Superiores, cùm debeant, tàm de rebus temporalibus, quàm Spiritualibus Monasterii sui reddere rationem, posse moderatam curam suscipere, & comparare sufficientem cognitionem, ut exigentibûs occasionibûs dare ordinem & monita necessaria possint suis officialibus cum majori judicio & maturitate. Quid verò damnatur, & fugiendum monetur, est affe-

ctus, & conatus excessivus pro iisdem temporalibus ardor, seu certa inclinatio ad tricas, sive excursus, facilitas se miscendi exequendis negotiis, breviter, nimis fortis, vel inordinaria applicatio ad exteriora, à quibus foras trahuntur, atque in Sanctis exercitiis solitudinis, sive communitatis distrahuntur. Prima ratio, ob quam se ab his indecentibus tumultibus alienos facere debeant, est, quia sunt injuriosi dignitati, & reputationi illorum. Si enim quis bonum Superiorem (: qui in regimine animarum DEI vices gerit, constitutus, ut eas per sua verba & opera doceat perfectionem, & tandem ad Cælum perducat :) vult animo conspicere, sibi proponit hominem totum virtutibus radiantem, sapientem, modestum, internum, Deo unitum, mortificatum, & super omnia à terrenis separatum, quique veluti alter S. Paulus bona mundi non plus arbitratur, quàm stercora; ut si quis videat aliquem nimis sollicitum & inquietum pro rebus inferioribus, mox eum despiciat, judicetque indignum officiô, quod exercet. *Iochan de Cont. Dispt. Die 5.*

In Labore.

22. Hinc Religiosi, si tepidi, & parū zelosi exercitiorum, & mortificationis, cernunt Superiorem suum

ſuum eſſe primum, & cæteris ferventiorem in operibus magis abjectis, & naturæ moleſtis, in cellâ pauperrimum, in ſervando ſilentio, ſolitudine, ac aliis obſervantiam concernentibus exactiſſimum, vî quâdam arcanâ coguntur eum imitari non obſtantibûs naturæ ſpuriæ contradictionibûs atque languoribûs. Pulchrum & excellens hujus rei exemplum habuimus in vita Fundatoris & Primi Abbatis Beccenſis B. Herlajni, ubi dicitur, quod Vir iſte Sanctus, cum ſuis Religioſis magnas incommoditates fuerit paſſus; erant enim pauperrimi, malè accomodati, coacti ſuſtentare vitam in ſudore vultus ſui, terram propriîs manibûs colendo: quo tamen non obſtante teſtatur Hiſtoria, hoſce Religioſos vixiſſe admodùm contentos, nullum concepiſſe de ſuâ vocatione faſtidium, nullas auditas murmurationes, omneſque incommoditates lætô animô toleráſſe, intuitu exempli ab hoc S. Abbate dati. Cùm enim conſiderarent Venerabilem hunc ſenem, quantumvis annîs & auſteritatibûs confectum, primum ad laborem, ab illoque ultimum recedere, in omnibus aliis etiam exercitiis devotionis, ſeu pænitentiæ, afferendo ſemper vultum cæleſtî gaudiô floridum: exemplum iſtud claudebat animum offenſionibus, mentem faſtidiis, os murmurationibus, atque illorum ſpiritum in tantum inflammabat, ut

omnes

omnes iſti rigores atque difficultates forent illis meræ deliciæ. *Idem ibid. Die 6. Medit. 1.*

In Veſtitu.

23. Prælatus igitur ſit humilis in uſu rerum temporalium, ut nihil habeat pompoſum, vel diligat, ſed omnia, quæ habere videtur, paupertatem voluntariam demonſtrent, & humilitatem oſtendant; ſcilicet veſtes, libri, cella, lectus, utenſilia, menſa, pallia, & hujuſmodi, ut nihil in omnibus appareat, quod notam jactantiæ, vel curioſitatis habeat, nec talia fieri ab aliis patiatur. Non eſt humilis cordis indicium, curioſa quærere, pretioſa affectare, & excelſa ambigere. *S. Bonav. de ſex alis C. 6.*

In Victu.

24. Tu verò quaſi hujus Ordinis non fores, cibos tibi procuras delicatos & lautos, ut gulæ facias ſatis. Si Abbas & Tuorum Regula & exemplum es, qui audes carnes lautas, piſces recentes, diverſimodè paratos, & panem extra Monaſterium à mulieribus coctum comedere? non ſine pudore

dico, quod tamen dicendum, quòd multi ſunt in via DEI ſubditi ſuo Abbate navigante nauclero, milites Duce perfectiores; quodque tuo in Monaſterio multi reperiantur, qui eo tempore, quo tu horas noctis cænîs opiparîs & ſuperfluîs tranſigis, ipſi orationi vacant, & ad expiandas culpas & earum remiſſionem diſciplinas ſumunt. *Epiſtolarum S. Bernardi Epiſt. 443.*

In cultu externo.

25. Prælati non pauci digni hoc nomine vixerunt, qui licèt cenſus haberent opulentos, utpote Eccleſiæ Principes, nihil eorum uſurpârunt, quæ à nonnullis ad dignitatem Eccleſiaſticam conſervandam neceſſaria judicantur. Tapetes pretioſos, palatia Regalia, & ædes inſtructiſſimas nunquam habuerunt, ſed frugaliter ac temperatè inſtar Religioſi ac Clerici pauperis viventes, humili palla & amictu contenti, omnem veſtimentorum luxuriam abjecerunt. Porrò res eſt certiſſima non idcirco vel hilum authoritati ipſorum detractum fuiſſe. At ſcimus, & fateamur neceſſe eſt, in majori ipſos, quàm terræ Magnates æſtimatione fuiſſe & reve-

rentia:

rentia: quorum ſcilicet manibus, veſtibus, pedibus oſcula fixerunt, quod minimè contigiſſet, ſi induti ſericô, aurô onuſti, magno famulantium grege ſtipati, undequaque circumvecti, ſi domus adornatæ periſtromatîs, divitiîs plenæ ac theſaurîs, menſæ Regales, & exquiſitarum epularum deliciîs oppletæ fuiſſent. Hos conſtat in vita & poſt mortem claruiſſe miraculîs, & oſſa ipſorum ac cineres in veneratione haberi, fieri item diligentiam, ut Sanctorum Cathalogo adſcribantur. Ad quod obtinendum nihil proderit Majorum ſtemmata, magnificos apparatus, & his ſimilia recenſere. Proderit verò paupertatem, modeſtiam, continentiam, humilitatem oſtendere, quam ipſi, & Familiares coluerunt. Proderit ipſos ad normam & Decreta Concilii Trident: Sanctorumque exempla inſtituiſſe. Unde patet non eſſe ineptum aut abſurdum dicere, paupertatem Evangelicam maximè dignitati Spirituali convenire; at è contra conſilium carnis eſſe & ſanguinis corruptelam morum, huic velle contrariari. *Anton. de Molin. Tract. de Eminen. Sacerd. dignit. Tract. 20. C. 13.*

 In reſi-

In resignatione in Divinam Providentiam.

26. Nimia sollicitudo mundanorum valde est damnosa, quando est in mentibus Prælatorum: Ipsa enim Prælatum affligit, quiescere non permittit, & quidquid cogitat, totum perit, quodque magis timuerat, hoc incurrit. De primo dicitur in Ecclesiast: C. 2. v. 20. *Peccatori autem dedit afflictionem & curam superfluam; ut addat & congreget, & tradat ei, ut placuit DEO, sed & hoc vanitas est, & crassa sollicitudo mentis.* De secundo in Jeremia C. 49. v. 23. *Præ sollicitudine quiescere non potuit.* De tertio in Proverb. C. 11. v. 7. *Expectatio sollicitorum peribit.* De quarto in Jerem. C. 42. v. 16. *Gladius, quem vos formidatis ibi comprehendet vos, & fames, pro qua solliciti estis, adhærebit vobis.* Ideoque à nobis debemus nimias sollicitudines temporalium excutere, & in DEUM projicere; sicut dicit B. Petrus *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in Eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Inquantum enim possumus, temporalia per Vicarios dispensemus, & in his quæ DEI sunt, per vos ipsos pro viribus intendamus. Illa enim agenda

sunt

sunt per Vicarios, ista autem per nosipsos: Et ne consumamur stulto labore, utamur, si unquam possumus Jethro consilio, quod Moysi in Exodo dedit *D. Bernard. Casisin. Specul. Monach. P. III. C. I.*

In Cura rerum Spiritualium præ temporalibus.

27. Illi Pastores animarum, qui plus curant pecunias, quàm animas, sumptuosos muros erigunt, mores verò negligunt, ex Sententia S. Bernardi, quò plus æquô implicant se sæcularibus negotiis, oeconomicis occupationibus, spiritualia autem duntaxât vicariis suis, vel minoribus quibuscunque officialibus committunt, quasi res nullius, vel levis momenti, contra quam tractat Apostolorum forma, & norma, qui convocata omni fidelium multitudine dixerunt: non est æquum derelinquere nos „Verbum DEI, & ministrare mensis, considerate „ergo Fratres viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu S. & sapientiâ, quos constituamus super hoc opus, nos verò orationi & ministerio Verbi DEI instantes erimus. Et S. Bernardus Eugenio Papæ scribit: Vacuum prorsus à sollicitu-

„licitudine rerum minimarum & vilium oportet ef-
„ſe animum, tam magni, & multis intentum rebus,
„ſed hæc aliis committere debet, dicente Apoſto-
lo; ſæcularia judicia ſi habueritis, contemptibiles,
„qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judican-
„dum, Ut ipſe videlicet inquit S. Gregorius, di-
ſpenſationibus terrenis inſerviant, quos dona ſpiri-
tualia non exornat. *Euſtah.* Janka *in ſuo Favo Mel-
lis. Folio 221.*

28. Cuncti qui præſunt, habere quidem ſolli-
citudines exteriores debent, nec tamen eis vehe-
menter incumbere. Difficiliter mihi quis perſva-
deret; poſſe Superiores, qui debent eſſe Viri ſolita-
rii & collecti, in hoc excedere, hoc eſt volupta-
tem cupere. & his occupationibus faſtidioſis & o-
neroſis, niſi apud S. Gregorium legiſſem reperiri
aliquos, qui has externas occupationes, dum ad-
ſunt, ſe agere exultant; ad has etiam cum deſunt,
diebus ac noctibus cogitationis turbidæ æſtibûs an-
helant. &c. laborem deputant, ſi externis negotijs
non laborant. Interea accidit, quod multitudo co-
gitationum, & conſilia, quæ in eorum animis a-
gitantur, & agendum movent, auferant ipſi atten-
tionem ad ſeipſos, & tempus vacandi lectioni &
orationi, ex quibus poſſent diſcere, quales eſſe, &
quid

quid ipsi alios docere debeant. Unde satis frequenter oritur confusio inter subditos, qui veluti membra non solent bene se comportare sub capite ægro, & semper tremulo. Quæ namque directio & conductio? qualis ædificatio? quæ assistentia in eorum necessitatibus? quem pietatis sensum haurire possunt pro sui directione ex hujusmodi Superioribus? Quid dicent aliquando supremo Judici Superiores, qui nunc ejus negotium, causamque eis in collatione muneris sui adeò commendatam deserentes, tam facilè se implicant, sequendo inclinationem naturalem hujusmodi sollicitudinibus & occupationibus abjectis & despectis popularibusque, vel conjiciendo se in visitationes atque consortia sæcularium ultra mensuram, dum interea hac occasione miseri Religiosi pereunt defectu directionis. *Jochan. le Cont: Disp: Polit: Relig: Die 5. medit: 1.*

29. Pastores siquidem, qui veri Pastores sunt, licèt tabernacula habeant de terra, & in terra, corpora videlicet sua, in diebus, quibus nunc militant, non tamen de terra, sed de Cælestibus pascuis greges dominicos pascere consueverunt; neque enim suam eis, sed Domini prædicant voluntatem. At hædi (: qui sunt corporis sensus :) cælestia non requirunt; sed juxta tabernacula Pasto-

rum

rum in omnibus videlicet bonis ſenſibilibus hujuſmodi, quæ eſt regio corporum, ſumunt, unde ſua deſideria non tam ſatient, quàm irritent. Turpis mutatio ſtudiorum, ut cui ante ſtudii erat peregrinantem & exulem animam ſuam ſacris meditationibus, tanquam Cæleſtibus paſcere bonis, DEI beneplacitum & myſteria voluntatis ejus inquirere, penetrare devotione Cælos, & mente ſupernas circuire manſiones, ſalutare Patres atque Apoſtolos, & Choros Prophetarum, Martyrumque admirari triumphos, ac ſtupere pulcherrimos Angelorum ordines, nunc, omnibûs hîs omiſsîs, turpi ſe mancipet corporis ſervituti, ad obediendum carni, ad ſatisfaciendum ventri & gulæ, ad mendicandum in univerſa terra; unde ex ea quæ præterit, mundi hujus figura ſuam ſemper famelicam curioſitatem aliquatenus conſoletur. *S. Bernard. Serm. 35. in Cant.*

30. Superiores effuſi, negligentes in ſuo officio, ſordidi, inſulſi, vel nimis curioſi & accurati in ſuis cellulis & habitu, inconſtantes in actionibus, parùm zeloſi in minoribus obſervantiis, ſunt aliquando cauſa defectuum à Subditis commiſſorum, qui illos caverent, ſi bonum exemplum ob oculos haberent, conſequenter tales Superiores magis adhuc formidare debent punitionem DEI teſte D. Gre-

Gregorio,, Scire Prælati debent, quia si perversa „unquam perpetrant, tot mortibûs digni sunt, quot „ad Subditos suos perditionis exempla transmittunt. Quare absolutè etiam necessarium est, ut Superiores conentur suos Religiosos benè in omnibus ædificare, & tantò sollicitiùs studeant evitare minores etiam defectus ac excessus, quantò plus metuere debent, ne dum talia declinant, sint aliis lapis offensionis, & petra scandali: ac dum pravis moribus alios ad relaxationem provocant, participes fiant peccatorum, & damnationis illorum, vel saltem severè puniantur propterea, quod alios exposuerint periculo perditionis Joch: 1. Cont: & 6.

Discretio Prælatis pernecessaria.

31. Hominibus præesse, seu alios regendi ratio, quantò est sublimior, & majori dignitate prædita, tantò est periculosior, ei saltem, cui cor intelligendi est. Cavere siquidem maximè debet, qui alios curare nititur, ne ipse ulceribûs scateat, quinimò etiamsi quisque purum ab omnis generis peccato se custodiat, dicere tamen non ausim hoc ipsi sufficere, si alios ad virtutem instituere debeat. Haud enim illum, cui id muneris concreditur; malum

duntaxat non esse juvat (: est enim illud etiam plebeis, ac subditis turpissimum :) sed & studiô bonitatis cunctis antecellere, & non solùm pravos typos ex animo delere, sed & meliores imprimere, sic ut magìs virtute, quàm dignitate Subditis præstet. Rursus nec magni ducere debet, si plebem tantummodó excedat, sed summo pro detrimento habere, si dignitati suæ non responderit. Insuper, esto sit aliquis non malus, & propterea ad ipsum virtutis apicem ascenderit, non video tamen, quam scientiam consecutus, aut qua potentia fretus ad Prælaturæ gradum conniti debeat, quandoquidem mihi re vera Ars Artium, & Scientia Scientiarum esse videtur, hominem regere omnium animantium versatissimum, simul & moribûs diversissimum. Poterit autem ex curandorum corporum ratione per collationem quis indagare, quæ sit animarum cura? &, ubi quàm sit onerosa, cognoverit; inde experimentum sumere, quàm sit hæc nostra majoris negotii, naturaque materiæ, virtute scientiæ, & fine efficaciæ pretiosior. Etenim illa circa corpora curanda materiamque fragilem laborat, brevi dissolvendam: hæc verò circa animam, quæ & DEO est, atque Cælestis nobilitatis consors. Porro medici, alia quidem suopte labore adinveniunt, alia verò aliunde accepta conferunt, & opus habentibus

tibus impendunt, idque potissimùm hominis alicujus gratiâ, ut plusculos dies in terris vivant, sed quantillum est illud omne tempus, quo dein vivere poterint? aut quid ex hac præsenti vita lucraturi? cujus salutationem potiùs appetere tutissimũ videtur. Nobis verò quibus curandum est, ne periclitetur salus animæ beandæ & immortalis, & immortaliter puniendæ propter malitiam, vel laudandæ propter virtutem, quantùm certaminis subeundem erit, aut quàm singularî scientiâ opus est, ut eam ritè curemus & ad vitam transferamus æternam; sed insuper quemadmodum in corporibus non eandem curam, pariter & alimoniam, sed alii aliam ferunt, juxta quod vel bona vel mala complexione sunt affecti, ita & animas diversa ratione, & vivendi regulâ curare debemus. Testes sunt hujus curationis illi, quorum sunt & passiones, horum quippe alii verbîs ducuntur, alii verò exẽplîs in ordinem rediguntur: rursus alii opus habent punctionibûs, alii frenô; sunt enim illi segnes, & ad bonum motu difficiles; isti verò spiritu ferventiores, quàm moderatio ferat. Aliis insuper prodest, si laudentur, aliis conducit, si vituperentur, alios corrigit adhortatio, alios increpatio, utraque rursus alios in communi redargutos, alios verò in occulto admonitos; solent namque alii privatas admonitiones

contemnere, & multitudine caſtigationis emendari; alii autem libertate reprehendendi ad impudentiam provacari, & ſecreta increpatione ad viam diſciplinæ reduci, compaſſionique admonentis obediendo reſpondere. *S. Gregor. Nazian. apud Mabbilon. de ſtudio Monaſt.*

Mores Prælati ſint irreprehenſibiles.

32. Qui aliis eſſe cupit utilis, imprimis (: ajebat Ignatius :) ſibi vacare debere, & ardere ipſum charitate; ſi alios velit incendere: ſuperare inanem metum, ambitionem tanquam peſtem fugere, voluptatis illecebras, omniaque carnis blandimenta aſpernari, & quidquid vitioſum eſt, à ſe repellere, ut omnibûs turbidorum motuum radicibûs expulsîs ac evulsîs, Divinos ſatus & in ſe aptiùs accipiat, & in alios utiliùs effundat.

33. Non benè imperabit aliis, qui ſibi nequit imperare, dum inteſtinô bellô concutitur, paſſioneſque indomitæ rationis arcem oppugnant. Qui enim intemperantiæ, timoris, audaciæ, aliiſque immoderatis ſuccumbit affectibus, quomodo intemperantes, timidos, audaces moderabitur. Profectò

ſi Ar-

ſi Architecti norma peccet, ædificum ad eam regulam exactum nequit eſſe perfectum. Debet ergo Gubernator eſſe virtutum exemplar, quod Subditi imitentur, lineaque quâ dirigantur, ut reipublicæ & familiæ partes, quaſi aulæ cujuſdam latera architectonica proportione conſentiant. Atque idcirco animum ita debet regere ſuum, ut rationis imperio paſſiones effrenes còërceat, ne irâ exæſtuet, concupiſcentiâ flagret: delectatio illiciat, quod auxiliô cæleſtî, Divini judicii, mortis, ac tartari meditatione conſequetur. *Ioan. à IESU arte Gubern. P. 4. C. 9.*

34. Ex mente ſiquidem Sylviani nil eſt turpius, quàm excellentem eſſe quemlibet culmine, & deſpicabilem vilitate. Quid enim eſt aliud Principatus ſine meritorum ſublimitate, niſi honoris titulus ſine homine? aut quid eſt dignitas in indigno, niſi ornamentum in luto? ſi in tuis paſſionibus & defectibus notatur, quod nec in ſimplici Religioſo notandum eſt, ac tolerandum, neque in tua converſatione, modoque procedendi quid ſingulare apparet, quid dicetur de te, niſi quod vita tua te non oſtendit eſſe Superiorem, plus quoque in te reperiatur fugiendum, quàm imitandum. Ne in tantum opprobrium incidas, commoda aurem cor-

dis

dis insigni monito Magni Cardin: Petri Damiani, Stude (: inquit ille :) Prior, ut te contiguus alloquar, quatenus, quos Prioratûs officio superas, si possibile est, tantumlibet etiam vitâ præcedas. *Iohan. Die 2. Med: 2.*

35. Quomodo enim eum judicare potes consiliô Superiorem, quem vides inferiorem moribûs? supra me debet esse, cui me committere paro. An verò idoneum eum putabo, qui mihi det consilium, quod non dat sibi? & mihi eum vacare credam, qui sibi non vacet? cujus animum voluptates occupent, libido devinciat, avaritia subjuget, cupiditas perturbet, quatiat metus? *S. Ambros.*

36. Institutio, quam opera non præibunt, languida erit, imperfecta, mortua, & tanquam penicillum nullo colore imbutum, nullum etiam in tela colorem relinquet, quem non imbiberit. Neque sperari poterit DEUM ejusmodi hortationibûs usurum ad mortales à peccati sordibus mundandos: nec enim ille ad corda abluenda manibûs sordidis utitur. Necesse est, ut esse munda studeat manus, quæ diluere sordes curat, ne tacta quæque deterius inquinet, si sordida ipsa, stercoris lutum tenet. Manifestum proinde est, alterutrum

horum eligendum: aut ponendus est sacerrimus hic titulus Rectoris animarum, aut laborandum, ut eas præcedat Rector virtute genuina, imo virtute transcendente vulgarem, tot gradibûs, quàm multis conditio Pastoris superat conditionem gregis ab eo gubernati. *Paul. Segneri Instit: Paroch: C 11.*

37. Prælatus quandoque reprehendere omittit, quia non irreprehensibiliter vivit, sicut B. Bernardus dicit. Nemo fideliter reprehendit, in quo se esse irreprehensibilem non confidit. Timet peccantes reprehendere, ne illud Evangelicum sibi dicant in faciem: *Hypocrita! ejice primò trabem de oculo tuo.* Neque enim potest esse sanum verbum & irreprehensibile, nisi sit gravitas in corpore, & integritas in mente, bonumque exemplum in opere. Ad hoc enim Titus instruitur, cum sibi per Apostolum scribentem dicitur: *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, in verbo sano & irreprehensibili.* idcirco ut Abbatis sit sana prædicatio, necessaria est in eo interior purgatio, & tunc demum potest esse sana aliorum correctio. De his B. Gregorius ait: Revocentur intus itaque in conscientiam, ut priùs propria corrigant, & tunc aliena reprehendant. *D. Bernardus Cassin. Specul. Monach. P. III. C. I.*

Prælatio cur non ſit ambienda?

38. Magnopere curandum eſt, ut, qui regendis hominibus præfertur; apud ſe intra ſecretarium mentis in Cathedra præſideat humilitatis, cumque ei foris à cæteris aſſiſtitur, vigilanti oculo inceſſanter aſpiciat. cui quandoq; Judici ipſe de his judicandus aſſiſtat, ut quando nunc ante eum, quem non videt, ſollicitus trepidat, tantò eum, cum viderit; ſecurior cernat. Penſet ergo, qui ad ſatisfaciendum diſtricto Judici de ſua tantummodo anima fortaſſe vix ſufficit; quia tot regendis ſubditis præeſt, reddendæ apud eum rationis tempore, ut ita dicam, tot ſolus animas habet. Quæ nimirum cogitatio ſi aſſiduè mentem excoquit, omnem ſuperbiæ tumorem premit. Et Rector providus tantò jam neque Rex apoſtata, neque Dux impius vocabitur, quantò ei cogitatione ſollicita poteſtas, quæ accepta eſt, non honor, ſed onus æſtimatur. Nam cui nunc eſſe judicem libet, huic videre tunc Judicem libet; numerari enim culpæ nequeunt, quæ habendæ poteſtatis amore perpetrantur. Tunc ſolum verò poteſtas bene geritur, cum non amando, ſed timendo retinetur. Quæ ut miniſtrari rectè valeat, oportet primùm, ut hanc non cupiditas,

tás, ſed neceſſitas imponat. Percepta autem, nec pro formidine debet deſeri, nec ex libidine amplecti, ne aut pejùs quis quaſi ex humilitate ſuperbiat, ſi Divinæ diſpenſationis ordinem fugiendo contemnat, aut eò jugum Superni Rectoris abjiciat, quò eum ſuper cæteros privatum Regimen delectat. Poteſtas érgo cùm percipitur, non ex libidine amanda eſt, ſed ex longanimitate toleranda, ut inde tunc ad judicium ſalubriter levis ſit, unde nunc ad miniſterium patienter gravis innoteſcit. *S. Gregor: Lib: 24. Moral. C. 34.*

Prælatum Subditorum moribus ſtudere neceſſe.

39. Neque debet ſemper, qui præſidet, humilitate, nec etiam omnibus uti authoritate, ſed alternatim, nunc unam, nunc exhibeat aliam, prout cuique expedire cenſuerit. Sanè cum mitibus & ſimplicibus ſe Paſtor humiliter gerat, quàm diu in propria ſimplicitate perſeverant. At verò ſi ſvadente diabolo, aut ſubvertente malitia ab innatæ bonitatis itinere declinare inchoaverint, tunc & ipſe, qui regit, diſciplinæ rigorem aſſumat, & Regimi-

nis gravitate ſervata, errantes ad cor ſuum revocare ſtudeat, ut intelligant, unde exciderint, & cum authoritate compeſcat, quos humilibus perſvaſionibus in mentis ſuæ ſinceritate cuſtodire non valuit. Superborum verò vulneribus (: quoniam acriora opponenda ſunt remedia:) juſtitiæ contra eos Prælatus ſe zelô præcingat, ſatagatque illos minîs, terroribûs atque convitiîs proprii reatûs ad compunctionem inflectere, admonitioniſque verba cum cordis benignitate ſuſcipere. Denique ſi viderit eos ex increpatione molleſcere, ſeque accuſando diſtricta animadverſione mactare, tunc humilitatis, & charitatis promat eloquia, ne forte deſperationis cadant in laqueos, qui ab adverſariis ſub compunctionis ficto velamine tenduntur incæcatis. Sciat itaque qui præſidet, ſe (: cauſa exigente :) per authoritatem extollere, ſciat etiam prudenter ſe humiliare, ne & ipſe circumveniatur à Sathana, qui mille fallaciarum generibûs militantibus Chriſto inſidiari non ceſſat. *S. Lauren. Juſtin.*

Zelus Prælati in quibus conſiſtat?

40. Verus igitur juſtitiæ Zelator, *primò.* cavet ne malum aliquo modo faciat vel doceat, *ſecundò.*

ne li-

ne licentiet, vel concedat quacunque importunitate, seu circumventione mollitus. *Tertiò.* ne faveat, vel fieri etiamsi eo irrequisito fiat, vel absente, *Quartò.* ne dissimulet, & taceat, quasi nesciens, cùm ad eum pertineat arguere, & ostendere, quantum malum sit, & deterrere, ne ulteriùs audeant similia attentare. *Quintò.* ne inultum esse patiatur, quia aliquod bonum parit peccati castigatio, scilicet, quòd ipse, qui fecit, prohibetur ultra peccare dicente Domino: *jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. S. Bonav: de Sex alis C. 3.*

41. Ostendat bonus Zelator, quantum diligat DEUM in eo, quòd beneplacitum Ejus in se & in aliis promoveat, nec ab hoc zelo mollescat per desidiam, nec labore lassetur, nec consiliis flectatur, nec astutiis circumveniatur, nec amicitia, nec blanditiis deliniatur, nec minis terreatur, nec per diuturnæ pravæ consvetudinis præscriptionem desperet, quin suum officium exequatur. *S. Bonav: de Sex alis. C. 3.*

Fortitudo Prælati superari non debet.

42. Sacer Ordo cuique Superiori commisit suam Regulam & statuta, suum honorem & æstima-

tionem, & quasi vitam ipsam, ut in iis conservandis totus sit: hoc ab ipso expectat Ordo, hoc est, quod ipsi mandavit, & de quo strictam suo tempore supremo Judici rationem dabit: omni proinde studiô Superiori connitendum erit, ut obligationi suæ constanter & generosè satisfaciat. Non est, quod timeat aliorum machinationes, & terriculamenta, DEUS pro ipso est, à quo potestatem & authoritatem regendi accepit. *Noli quærere fieri Judex*, alloquitur DEUS Superiores *Eccl. 7. nisi valens virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua, noli esse pusillanimis in animo tuo.* Si vel uni contumaci cesseris, insurgent paulo pòst plures, & te sibi cum maximo obedientiæ & regularis observantiæ dispendio subjicient; contra hos severitate utendum: Necesse est, ut Rectores à subditis timeantur, quando ab eis DEUM minimè timeri deprehendunt, ut humana saltem formidine peccare metuant, qui Divina judicia non formidant S. Gregori: Pastor: Part: II. c. 6. Instandum apud similes oportunè, siquidem à debita correctione plurimum eorum salus dependet, quæ correctio si omittatur, & subditus perit, & ab integra sæpè communitate ob defectus & mala exempla nimium dissimulata, gratiam DEUS subtrahit cum magno

tàm

tàm ſpiritualium, quàm temporalium bonorum detrimento. *Ioan: Bapt: Saint:*

43. Prælatus nimis vitioſis humanus falſam ſibi curialitatem aſſumit, ut eis non diſpliceat, delinquentium culpas ferire omittit, iſte non eſt delinquentis fidelis amicus, ſed crudeliſſimus inimicus, non debet judicari malevolus, qui corrigit, imò debet reputari adverſarius, quia vulnus non ſecando, putreſcere derelinquit. Unde *B. Auguſtinus* dicit: non vos judicetis malevolos, quoniam crimen alterius judicatis; magis quippe nocentes non eſtis judicando crimen, quàm ſi fratres veſtros, quos judicando corrigere poteſtis, tacendo perire permittitis. Si enim Frater tuus vulnus habet in corpore, quod vult occultari, dum timet ſecari, nonne à te crudeliter ſileretur, & miſericorditer judicaretur? quanto ergo potius manifeſtare, ne deterius putreſcat in corpore. Item *Auguſtinus*: Melius eſt cum ſeveritate diligere, quàm cum lenitate decipere. Et qui phreneticum ligat, & qui lethargicum excitat, ambobus moleſtus exiſtit, & tamen ambos amat; Prælatus verò, qui non habet veram charitatem, & protendit ad ſubditum falſam humanitatem, ſi quandoque ipſum arguit, tepidè reprehendit. Sicut in *Libro Regum* legitur de

Heli, qui dicebat Filiis ſuis: *quare facitis res hujuſmodi, quas ego audio?* & quod ei accidit & Filiis, terribile eſt ſubditis, & horribile ipſorum Prælatis. *Div. Bernard: Caſſin: Specul: Monaſt: P. III. C. 1.*

10. *Defectus Prælatorum in regimine ſubditorum, & quomodo pro his ſtrictam Judici Deo rationem ſint reddituri.*

44. Quæ enim debilem remiſſamque gubernationem facient, ad hæc reduci poſſunt. *Primum*, ſi tantùm magna, & quæ ſcandalo ſint, curentur, ac ea demum ſentiantur à Superiore; cætera verò paſſim negligantur. *Secundum*, ſi obſervatio Regularum, vel multitudinis earum prætextu, vel ſvavitate noſtri Patris minùs accuratè urgeatur. *Tertium*, ſi quæ injunguntur facienda ob exiguam ſubditi repugnantiam vel aliorum interceſſiones immutentur facilè, & prætermittantur. *Quartum*, ſi ex frequenti aliquorum tranſgreſſione aſueſcat Superior, quaſi minùs mala judicare, quæ mala eſſe perſpexerit. *Quintum*, ſi judicat quidem & improbat, ſed ne contriſtet

triſtet, aut ne contra ſe carbones excitet, non monet, aut corripit delinquentem. In quo illud ſanè Divi Gregor: pertimeſcendum, cum mala corrigi loquendo poſſunt; ſilentium conſenſum eſſe pertimeſcat. *Sextum*, ſi ad conſolationem particularium ne murmurent, vel ob authoritatem aliqvorum, vel ob ſuas amicitias, vel ob privatos reſpectus ea facilè concedant, quæ vel illis, vel communi ædificationi satìs non conveniant. *Septimum*. ſi ad evitandas amaritudines aliquas errantis cujuſque, vel alterius, nec inveſtigat errata, nec corrigit, nec quæ neceſſaria ſunt, adhibet, præſertim ad cautelam. *Octavum*. ſi prætextu humilitatis & manſuetudinis permittat ſe negligi, & contemni quæ dicit. *Nonum*, ſi ex naturali timiditate vel reſpectu aliquo ita perfunctoriè, ac frigidè monet, ut nihil delinquentem moveat, quaſi admonitione illa, id tantùm voluerit, ut officio functus coram DEO videatur, ſeque ipſum liberet ſcrupulô prætermiſſæ correctionis. *Decimum*. & poſtremum, ſi contentus monitìs, cùm oſtenderit ſibi errata diſplicere, putat ſe jam ſatisfeciſſe; nec rebus ipſis efficaciter medeatur, & quaſi Heli arbitretur ſe omnia perfeciſſe, ſi dicat, *non eſt bona fama, quam ego audio*. *Claudius Aquaviva Induſt*, C. 2.

43.

45. Porro cùm ex unanimi SS. Patrum, & Theologorum consensu certum sit, quòd cuivis Superiori ex officio sub gravi culpa incumbat custodire communem regularis sui Instituti observantiam, ac proinde perniciosas praxes, & laxitates tollere & abolere, impedimenta rescindere, abusus pravosque mores & culpas corrigere, consequens est, Superiorem illum peccare graviter, qui correctiones, tanquam certa peccatorum remedia infirmis seu delinquentibus suis subditis in tempore applicare dissimulat, aut omnino negligit, aut aboleri permittit. Quicunque ergo Superiorum munus corrigendi negligunt, sibi suisque subditis non leve salutis præjudicium inferunt, ac toti sæpenumero Monasterio, suæque Religioni grave vulnus infligunt; cùm exinde personalia Ordinis sui membra in suis infirmitatibus derelinquant, & quodam, modo putrescere permittant. Hinc est quod SS. Patres gravem hanc Religiosorum Ordinum ruinam passim deplorent, desidesque ac somnolentos hac in parte Superiores acriter perstringant. Ideo enim tot Ordines confunduntur (: inquit *Doctor Seraphicus in Inform: Novit: P. II. C. I.* :) quia pueriles mentes sibimet dimittuntur sine freno retrahente à noxiis. *S. Petrus Damian:* apertè fatetur, quòd si de Sacro Conventu correctionum censura

subtra-

ſubtrahitur, diſciplinæ vigor funditus enervatur, & Religio tota diſſipabitur. Utinam, o! utinam non etiam id ipſum etiamnum hodiè in nonnullis Religioſorum clauſtris contingeret, unde enim tanta quorundam ſubditorum audacia, & exorbitantia? tam libera agendi licentia, tamque audax erga Superiores quandoque reſiſtentia, ita ut nonnunquam Superior Subdito, non ſubditus Superiori teneatur cedere? unde inquam hæ lacrymæ? nonne hinc, ex indiſcreta ſcilicet Superiorum conniventia, & in corrigendis Subditorum culpis negligentia? neglecta ſiquidem correctio plerumque vitia fovet ac nutrit, malaque plurima & exempla peſſima ſecum trahit. Ubi enim deeſt correctio (: ait *Humbertus*:) abundat peccati corruptio, ſemperque ſcelera, dum non reſecantur, juveneſcunt, & in aperta facinora proditur, quoties ſecura impunitate proceditur. *Anon: Ichn:* 7. *Diſcip:* 1. *Reg:*

46. Cui data eſt poteſtas à Domino ſuper familiam ſuam, & cui debent Subditi ea de cauſa vice Domini obedire, ſi non corrigit delinquentes, ſi permittit ſub ſe vitia creſcere, & conſuetudines malas oriri, & jam exortas roborari & dilatari, ſi videt regulares obſervantias dilabi, & tranſgreſſiones multiplicari, & non pro poſſe non obviat tam

præſentibus malis, quàm imminentibus, triplicem DEO rationem reddet. *Primò* pro ſua negligentia, quando non fecit, ad quod officiô tenebatur - - - quoniam judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet. *Secundò* quòd omnia peccata Subditorum, quæ poterat, & debuerat correxiſſe & præcaviſſe imputantur ei - - - quoniam ſanguinem ejus de manu tua requiram. *Tertiò* pro abuſione honoris, & poteſtatis ſibi collatæ quam ad propriam gloriam & commodum retorſit, & non ad quod data eſt ei. *S. Bonav: de ſex alis.*

47. Quàm terribile igitur Antiſtiti judicium imminet, ſi Fratres delinquentes non arguat! quam ob rem cui Communis totius Regulæ Societatis data provincia eſt, is ita animô affectus eſſe debet, quaſi qui intelligat reddendum ſibi de uno quoque rationem, illudque ſibi perſuadere, ſi de fratribus aliquis in aliquod peccatum inciderit, quem priùs ipſe de judicio DEI non præmonuerit, vel ſi jam lapſus in eo perſtiterit, ac non rationem ipſam, qua ſanari poſſet, docuerit, fore, ut ſangvis ejus requiratur de manibus ipſius, ſicut ſcriptum eſt, præſertim ſi non ex inſcitia aliquid tacens prætererit eorum, quæ DEO non placent, ſed ex aſſentatione, quòd ſe demittens ad cujuſque vitia accomodet,

exa-

exactam ſibi creditæ Reipublicæ diſciplinam diſſolverit. Qui enim beatos vos dicunt, ipſi vos decipiunt, & viam pedum veſtrorum diſturbant; Qui autem turbat vos, ipſe judicium portabit, quicunque ille eſt. *S. Baſil. Mag.*

48. „Data eſt à DEO poteſtas vobis, & vir„tus ab altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & „cogitationes ſcrutabitur: quoniam cùm eſſetis Mi„niſtri Regni Illius, non rectè judicâſtis legem ju„ſtitiæ, neque ſecundùm voluntatem DEI ambulâ„ſtis. Horrendè & citò apparebit vobis, quoniam „judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet. Exi„guo enim conceditur miſericordia, Potentes au„tem potenter tormenta patientur. Non enim ſub„trahit Perſonam cujuſdam DEUS; quoniam puſil„lum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura ipſi „eſt de omnibus. Fortioribus autem fortior inſtat „cruciatio, *Sap. 6.*

49. Omnes Sancti in hoc conveniunt, quòd ſi Superiores non ſollicitè reprehendant, & corrigant defectus Religioſorum ſuorum, ſi tolerant abuſus, deordinationes, vel quandam ſpeciem libertatis in ſua communitate, aut conniveant, ſi facilè Regulæ & Statuta violentur, minora exercitia & obſervan-

tiæ contemnantur, quin ſe opponant animosè & reſolutè, & impediant hoc malum, rei erunt, & coram Divino Tribunali, reddere rationem cogentur. Primò ùt dicit S. Bonaventura propter negligentiam, quâ omiſerunt id facere, ad quod tenebantur. Secundò de exceſſibus & tranſgreſſionibus omnium Subditorum, qui in ipſos redundant. Tertiò, de malo uſu ſuæ poteſtatis, quam DEUS ipſis contulit, ut vitia extirparent, animas perficerent, & ſuam gloriam promoverent. Quæ cùm ita ſint, quis inficias ibit cæteris omnibus mundi negotiis magìs periculòſum eſſe regimen animarum? Specialiter ſi cenſideremus DEUM exacturum rationem à Superioribus tam de jactura, quàm de delictis eorum, quos ipſis credidit. Si enim quidam fortaſſis victi violentiâ tentationis, aut mala conſuetudine, vel alias ſeducti à Dæmone incipiant cadere in abyſſum inferni, eò quòd non fuerint ſatìs promptè adjuti, & minori cum aſſiduitate excitati, atque revocati, vel ipſis non ſeriò invigilatum fuerit. Certum eſt Superiores coram DEO deſuper reſpondere debere, eorumque animas reas & obligatas pro Animabus horum infelicium tenendas eſſe: quod ſanè ſatìs efficax eſt, ut tremefaciat, & excitet Superiores, ut ſingulari cura hæc depoſita cuſtodiant. *Johan le Conte.*

Prælatorum vigilantia ubi plus necessaria?

50. Cùm Prælati habent plura loca jurisdictioni subjecta, ad eum citiùs accedant, ac diutiùs ibi remaneant, in quo scandala magis urgent, ut eis obviam eant, & impediant. Si enim impii ibi in Cathedra sua sedent, quam David appellat pestilentiæ, eò, quòd tanquam pestis eorum scandalum adhæreat aliis, eosque inficiat, æquum est Prælatum ponere suam Cathedram ibi contra illam, ut recta solidaque doctrina sua, refutet, rejiciat, malam & scandalosam. Quod si Sathan sedem suam ponit in Civitate quadam, quia his scandalizantibus, tanquam instrumentis utitur ad alios corrumpendos ac pervertendos, justum est, ut & ipse sedem suam ibi collocet, ut ei resistat, ejusque conatus impediat. Ubi enim major est necessitas Subditorum, debet etiam diuturnior esse Prælatorum mansio & assistentia. Propterea voluit Christus Dominus Vicarium suum Sanctum Petrum cum Apostolo Paulo ire Romam, suamque Cathedram ac sedem ibi collocare, eò quòd Sathan ibidem haberet sedem iniquitatis, & Cathedram idololatriæ. Et

ipse-

ipsemet Salvator qui (: ùt ait S. Joannes :) in hoc apparuit mundo, ut dissolveret opera diaboli. Cùm cæpit suam prædicationem, erat frequenter in Jerusalem, ubi Scribæ & Pharisæi suas Cathedras habebant, in quibus multos docebant errores, quos ipse dissolveret, & solidam veritatem docere studebat. In cujus rei signum ingressus Templum Jerosolymitanum cathedras, vendentium columbas, evertit. Usus autem est Evangelista vocabulo Cathedra, ad significandum (: ùt S. Hieronymus explicat :) Prælatos dissolvere & evertere debere doctrinas Magistrorum, qui sunt cupidi, ac superbi, & deceptores. Qui propter avaritiam ac superbiam suas proferunt phantasias, quasi essent à Spiritu Sancto per columbam significato. Ejecit quoque ex Templo vendentes & ementes, & mensas nummulariorum evertit. Quæ tamen ibi habebantur eo prætextu, quasi ad sacrificia, quæ in Templo offerebantur, essent necessaria: ut sic zelantes Prælati intelligant, quod non debeant hujusmodi vitia permittere, quæ pallio quodam virtutum se se contegunt. *Ludov: de Ponte.*

Cur

Cur S. Conſtantius in purgatorio triduo graves tulerit cruciatus?

51. Heu Frater! quàm diſtricta Domini judicia ſunt, atque ab hominum ſenſu ac ſententia longè remota, quæ enim virtutes viventibus videntur, à DEO plerumque, qui recte omnia metiri novit, vitia judicantur. Ego quidem ex DEI miſeratione ſalutem conſecutus, Cæleſti gloria fruor, verumtamen in purgatorio igne triduano pænas exſolvi, quæ trium millium annorum (:haud mentior:) mihi diuturna ſupplicia viſa ſunt. Quod ſi horum cauſam quæras, ea gemina fuit. *Prima*, quòd ex diuturna mea inter Fratres Prælatione pleraſque maculas, quas nec maculas exiſtimabam imprudenter contraxerim, ac plurima prætermiſerim, quæ & Superioris munus & commiſſi gregis officium, poſtulabant. Quæ ſummo rigore in DEI judicio examinata fuere. *Altera*, quòd in animi remiſſionibus, quas intra ſolius virtutis terminos contrahere debueram, erga Subditos indulgentior, quàm par eſt, extiterim, ex quo plerumque diſſolutiones eruperant. Ita *S. Conſtan: apparens poſt mortem apud Zachar: Bov: Tract: 2do, Pag 204.*

Præ la

Prælatus Justitiam cum Misericordia debet conjungere.

52. In charitatis tamen & compassionis affectu necesse est illi (: Superiori :) uti prudentia, ne facilitas veniæ Subditis occasionem tribuat delinquendi. Nam quemadmodum peccanti compatiendum est, atque humanæ fragilitati misericorditer ignoscendum, æquè sunt scelera corrigenda, ac punienda errata. Alioquin sub velamine pietatis compassionisque specie, periclitaretur justitia, quæ viriliter ab iis, qui præsunt, exerceri debet, ac diligi, sicut in Libro legitur *Sapient: Diligite, inquit justitiam, qui judicatis terram.* Debent itaque Pastores animarum semper misericordiam servare in corde, & justitiam ministrare in opere, juxta tamen qualitatem Personarum, gravitatem criminis, intentionis perversitatem, conditionem temporis, ac perseverantiam mali. Sic itaque habere se debet in cunctis, ut nec justitia compassionem repellat, neque compassio justitiæ regulas prætermittat. Nam justitia sinè compassione, crudelitas est, & compassio absque justitiæ rectitudine, ignavia & pusillanimitas judicanda: ambæ quippe cohærent simul; ambæ in Præsidente

sunt

ſunt neceſſariæ, adeò, ut ſi altera ipſarum deſit illi, nequeat eſſe perfectus. *S. Laur: Juſtin: de Inſt: & Reg: Præl: C. 9.*

53. Sunt nonnulli, qui abſque peccato mortali nequeunt reprehendere quædam peccata venialia, ita, ut majorem defectum committant, & paſſionē majorem oſtendant in corrigendis aliorum defectibus, quàm ſit defectus, quem perſtringunt. Sed quomodo corrigant alios, cùm ſe ipſos corripere nequeant? Imitantur illum ſtultum, qui jacturam utriuſque oculi lubens ſubiiſſet, dummodo ejus hoſtis juratus, uno orbatus fuiſſet. *Idem Ib. C. 1.*

54. Intelligat, quòd quando mollis & amica correptio non ſufficit, aſpera & acerba reprehenſio debeat adhibere punitionem in gradu ſibi permiſſo contra Subditos propter aliquem finem ex tribus. *Primus* eſt in finem ipſiuſmet Subditi, qui peccavit; ſæpe enim evenit, ut ſtultus correptus ſapiat, & vexatio det intellectum, ut peccatum agnoſcatur, defleatur, & quæratur ejus remedium: ac propterea Salomon dixit: Noli ſubtrahere à puero, ſive ſubdito diſciplinam, ſi enim percuſſeris eum virgâ, non morietur. Quando autem Subditus pertinax ac rebellis eſt, nec acceptâ pænâ proficit, eſt etiam ne-

cessarium idem facere in utilitatem cæterorum, qui ex aliorum pæna cautiores fiunt; ne ipse Prælatus ejusdem pænæ reus fiat: ac propterea idem Salomon dixit: pestilente flagellato stultus sapientior erit. Ex hoc fit, ut hoc ipsum sit etiam valde necessarium ad commune Ecclesiæ ac Religionis bonum, ut & Christiana ac Religiosa disciplina in suo vigore conservetur. Nam ùt ait S. Bonaventura. Discrimen inter bonam & malam Rempublicam & observantem ac relaxatam Religionem non in eo consistit, quòd in aliis aliqui sint mali, in aliis non, cùm re ipsa in omnibus inveniantur aliqui; sed in eo, quòd vitia & scandala reprehendantur, & puniantur in Republica bene ordinata, & in Religione observante, in aliis autem tolerentur, & sinè reprehensione & pæna transire permittantur. *Ludov: de Pont: Tom: 4. Tract: 7. de Stat: Epis: & Præl.*

Mansuetudo Prælatum decet, in delinquentibus corripiendis.

55. Si quando advertit Prælatus turbationem & rebellionem inter suos ne manu, ùt dicitur, armatâ & violenter aggrediatur, ut eam sopiat, sed mollia

prius

priùs adhibeat media, & patienter agat, ſicut Gedeon, qui blandîs & mollibûs rationibûs requieſcere fecit Spiritum Virorum Ephraim, quo tumebant contra eum. Quod ſi Subditi furioſos ſe exhibeant in corripientem, ne rationibûs cum eis contendat, ſed manſuetudinem induat; nam ùt Sapiens dixit: Reſponſio mollis frangit iram, ſermo durus ſuſcitat furorem. Quare ſi de ipſo murmurent, taceat uſque ad ſuum tempus, aut ſui rationem tranquillè & pacificè reddat, ſicut fecit Paterfamilias ille, cum operariis murmurantibus, quòd noviſſimos fecit eis pares, qui diutiùs laboraverant. Quodſi adhuc importuni & pertinaces eſſent, non deſcendat ad contentiones, quæ majores proferunt diſcordias, ſed tunc quidem diſſimulet, ut magìs opportunè feliciùs rem peragat, etiam præmendo magìs. Epiſcopum, ait Apoſtolus, oportet non eſſe litigioſum, non iracundum, ſed pacificum, non percuſſorem ſed modeſtum, non iracundum, nec unquam oſtendere, quòd aliquid faciat quaſi in vindictam; Etſi enim zelô juſtitiæ aut pietatis aliquid faciat, nullum temeræ vindictæ genus admittere debet. *Lud. de Pont.*

56. Igitur in nullo caſu, etiam ubi juſtiſſima apparet cauſa aliquem reprehendet iratus, donec

ſe ipſum priùs quietum reddat & pacatum; ſic enim licebit poſtea fratrem ſuum pacare, & faciliùs eum lucrabitur, ſi toleret, quia ipſemet tandem agnoſcet, ſuamque obſtinationem improbabit, ſeſeque ſubjiciet & ad pedes proſternet. Ratio autem cur non ſit reprehenſio adhibenda cùm Superior eſt turbatus, eſt ea; Quia DEI omnia mandata diriguntur ad Sanctitatem & cordis puritatem, cujus utriuſque fit jactura, ſi permittat ſe ab indignatione & averſione ferri. Nec in defectibus proin Subditorum valde indignetur. nec ſuum oſtendat defectum & turbationem. *P. Balth. Alvar.*

57. Cum indignatione & ira, caſtigatione adverſus aliquem uti, hoc haud quaquam eſt, à peccato illum liberare. Quamobrem Apoſtolus dixit: In manſuetudine corripientes eos qui reſiſtunt. Neque ſi in contemptum veniat alicui, ob id præbere ſe debet vehementem, aut plus æquô ſeveriorem: ubi verò alium contemni viderit, erga eum, qui deliquit, declaret ſe benignum ac indulgentem, quinimò multò graviùs ei ferendæ ſunt aliorum injuriæ, quàm ſuæ, hoc enim ſi fecerit, & ſuſpicionem à ſe illam hominis ſe ipſum amantis immodicè ſubmovebit, & planiſſimè ſe, non peccantem odiſſe, ſed peccatum averſari declarabit, cùm ita videlicet diverſo

versô modô se gerat in rebus & suis & alienis. *S. Basil: Reg: 50.*

58. Quando aliquis à te corripiendus est, eum hortando, monendoque potiùs, quàm increpando, vel passim infamando, conveni, quamdiu res lenitatem admittit: si sæviendum est, vide, ut sinè felle sævias; non furor, non propria causa, sed DEI amor, animarumque salus vehementiorem correptionem abs te extorqueat. Ratio in te maneat tranquilla, ipsam sermonis asperitatem Sancta discretio regat & temperet. Intus dulci affectu miserere ejus, in quem acriùs videris invehi, & ipsum tibi ex corde propone. Si sentis animum tuum graviùs esse turbatum, differ increpationem, donèc cessaverit istius modi commotio, vel certè paucula verba absque impetu tunc loquere. *Lud: Blos: Cand: vitæ C. 31.*

59. Audiant Prælati, qui sibi commissis sempèr volunt esse formidini, utilitati rarò. Erudimini qui judicatis terram. Discite Subditorum Matres vos esse debere, non Dominos. Studete magìs amari, quàm metui. Etsi interdum severitate opus sit, paterna sit, non tyrannica. Matres fovendo, Patres vos corripiendo exhibeatis, mansuescite, ponite feritatem.

tem, ſuſpendite verbera, producite ubera, pectora lacte pingveſcant, non typho ſuperbiant. Quid jugum veſtrum ſuper eos aggravatis, quorum potiùs onera portare debebitis . . Si ſpirituales eſtis, inſtruite hujuſmodi in ſpiritu lenitatis, conſiderans unusque ſe ipſum, ne & ipſe tentetur. *S. Bernard. Serm. 28. in Cantica.*

60. Et quis non rapiatur audiens Sanctum Paulum, qui, non obſtante, quòd haberet tantam poteſtatem, uſus eſt verbis tam ſuavibus, tam amoroſis, ut nullum ſit cor, quod non emolliatur. Pro eo, quòd diceret: Ego tibi præcipio ex parte DEI, ego hoc mando in virtute s. obedientiæ, hoc jubeo ſub pæna Excommunicationis, vel ſimilibus verbis, quibus uti poterat, ſi voluiſſet, ſic loquebatur, & potius rogabat, quàm mandabat: Obſecro te mi Thimoti per amorem, quo me proſequeris, adjuro te per Viſcera Chriſti, te rogo per manſuetudinem Salvatoris, ſi me ames, quamvis nil pro te fecerim in Nomine DEI, hoc vel illud, quod multum confert ad ſervitium Chriſti Domini, facias. *Kenn: Franc: Id. C. 4. N. 5.*

61. Sapienter S. Bernardus docet Eugenium & Prælatos, quo pacto gravitatem cum lenitate miſcere

ſcere debeant, ne vel ob illam, ſi nimia ſit, faſtidio ſint & odio, vel ob hanc contemptui. Eſto (ait) gravis, ſed non auſterus, non diſſolutus, neque ſeverus, ſed inter ea mediocritatem tene, ut neque de ſeveritate, ſis oneri, neque de familiaritate contemptui, auſteritas fugat infirmiores, gravitas reprimit leviores. In Palatio, Papam. Domi, te Patremfamilias exhibe. Ament te domeſtici, ſi non, fac ut te metuant. Utilis eſt ſemper cuſtodia eris, quæ tamen familiaritatis gratiam non excludat: Ille convenientior habitus, ſi actu ſeverus, vultu ſerenus, verbo ſerius. *Carol: Steng: Opt: Præl: P. 1. C. 10.* Sanctæ Franciſcæ Romanæ S. Paulus & S. Benedictus dederunt hoc monitum dicendum Confeſſario Diſcipularum ejus, ut particulari ſollicitudine (quam ab ipſo exigebat Mater creatoris:) dirigeret illas animas in via perfectionis. Idcirco ut indueret viſcera compaſſionis relinquendo omnem nimium rigorem, & habendo reſpectum ad fragilitatem illarum procurando cum prudentia & dexteritate, & tolerantia promovere opus tanti ſervitii DEI. *Idem Ibid: C. 18.*

62. S. Bernardus opinatur in Prælatura & Regimine nil proficui poſſe fieri, niſi fiat in Spiritu manſuetudinis, ita, ùt ſicut juxta Scripturam nemo ſinè fide DEO placere poteſt, ita nemo ſinè ſuavitate homini-

mini-

minibus placere, & bene gubernare queat. Ipsemet experimentô hoc didicit; Cùm enim esset Abbas juvenis, totus fervens, & ad partes severitatis & rigores declinaret, totus mundus eum timuit & fugit. Sanctus hoc advertit, veniam rogavit, & stylum mutans, mansuetus velut Angelus effectus est, hacque mansuetudine adeò corda Religiosorum sibi conciliavit, ut septingentos velut agniculos, gubernaret. Nil eo dulcius inveniri potuit, vocabat se eorum Matrem, Subditos suos oculos; viscera, cor, semper fundebat lac, ita ut si ejus suavitas voluisset componere homilias, scribere libros, alio modo id non fecisset, quàm Bernardus hoc fecit. Totus mundus exoptabat præesse talem, qui ex sua bonitate vult omnibus subesse. Is qui omnibus est in timore, totum mundum timere cogit. E contra quis quis tenerè amatur, non habet qui eum, vel quem timeat, quinimo quilibet eum tenerè amat, & libentiùs in propria persona pati vellet, quàm quòd ipse patiatur. Subditi ejus jussiones præveniunt, & si ejus mentem prædivinari possent, quilibet honestus & bonæ indolis libenter eum à labore mandandi eximeret, & omnia faceret, ut ei magìs gratificaretur. *Renn: Francis: Id: Bon. Reg: C. 2.*

63. Novi Abbates, qui tum bonô exemplô, tum suavî animandi modô jejunia Sabbathina, discipli-

næ

næ reformationes, aliasque observantias introduxere, quas planè nunquam obtinere potuissent nudô imperiô, in quo tamen absque dubio tum subditis animabus, tum disciplinæ Ordinis plus profuerunt, quàm si Religiosum forsitan particularem suô imperiô succensæ fecissent insilire fornaci. Nam cùm semina eorum permanent bona, etiam post multos annos ipsis adhuc in speciale gaudium in Cælis, qui seminârunt semen justitiæ, quod etiam post multos adhuc annos fructificabit. *Æmil. Neusl. Vox Clam. Reg. 6.*

64. Apud Sosium Abbatem cùm quidam Frater frequenter talem sermonem requireret dicens: Quid faciam Pater, quoniam cecidi? Respondit: surge. At ille respondit: exsurrexi. Et iterum se cecidisse confessus est, ait senex: & iterum surge. Cùm autem frequenter se cecidisse narraret, eodem sermone Senex utebatur exclamans: non cesses exurgere Fili, cui Frater ait: usquequo surgere possum Pater? explana. Tunc Senex ait: quousque aut in bono opere, aut in malo deprehensus occumbas. In quo enim opere homo deprehensus fuerit, in eo judicabitur. *Kono: in Vit: Pat: Lib. 3.*

65. Omnes Sancti Fundatores Religionum eminenter fuerunt præditi hac mansuetudinis prærogativa

tivâ & fuerunt valde mites, affabiles, humani, & semper velut angeli (: qui nil spirant nisì dulcedinem & benignitatem :) prodierunt. S. Macarius vocabatur DEUS Monachorum, quia è tot millibus Religiosorum, quibus præerat, nullus eum unquam vidit fulminantem aut tetricum. Et S. Aug: in sua Regula præscribit: Ipse qui vobis præest: non se existimet potestate dominante, sed charitate servicnte felicem, semper cogitans DEO se pro vobis rationem redditurum. *Eust. Janka.*

66. Si quis cum humilitate & timore DEI, injungat Fratri aliquid facere, sermo ipse qui propter DEUM egreditur, facit Fratrem illum suum subjectum existere, & implere quod fuit imperatum. Si autem quis volens jubere Fratri, & hoc non secundùm timorem DEI fecerit, sed contra, per authoritatem, volens sibi in eo potestatem defendere, DEUS qui videt occulta cordis, non permittit eum audire & facere, quod jubetur. Quod à DEO est, cum humilitate & obsecratione imperatur; Quod autem ex potestate, cum furore & perturbatione, ut pote quod à maligno est. *Rosweid. in vit: PP. T. 628.*

67. Ut enim mansuetudo iram, sic clementia punitionem moderatur, illa ad omnes, hæc ad Principes

cipes & Superiores pertinet, ejus enim munus est, mitiorem pænam, quàm jura exigant, irrogare, non ex timore, lucro, amicitia, aliove motivo, sed, ex animi lenitate. Non opus est latera montium abscindere, & in arduo collis vertice arces constituere, salvum Principem in aperto clementia præstabit: Malus Princeps invisus est: quia timetur, & timeri vult, quia invisus est, quem verò metuunt Subditi, oderunt, & quem quis odit, periisse cupit. Frustra se potentiâ munit, qui septus suorum benevolentiâ non est. Turpia sunt Principi multa supplicia, sicut medico multa funera. *&c. Ioan. Bona.*

68. Nullum potest assignari regimen, in quo non possint oriri aliqui defectus & deordinationes, sed pauciores oriuntur in imperio dulcedinis, quàm in omnibus aliis; illique defectus facilè emendantur, & nisì emendentur, sunt causabiles illi qui sunt culpabiles, & citò vel tardè ex se ipsis fateri debebunt quòd ipsi soli & non alii, sunt causa eorum mali, & sæpè emendantur, & ad frugem redeunt, illi qui fugantur per nimium rigorem, vix redeunt, & vivunt velut animæ desperatæ, timentque, ne denuo incidant in fauces leonis, vel lupi, & velut minus malum eligunt perditionem & destructionem. *Ren. Frac. Id. C. 2.*

Prælatus manſuetudini ſeveritatem jungere debet.

69. Is, qui dulcedinem efficaciæ jungit, eſt Rex hominum, & verus Seraphim, ſtatim dicam, quomodo hoc fieri poteſt, & ſi benè attendamus, S. Ignatius idem declarat, dum inquit. Quòd ſi aliquis defectum aliquem notabiliorem committat, patrata primò debeat tantùm paternè monere; Quòd ſi relabatur, oleo exiguæ monitionis addendum eſt, & paxillum aceti, & defectus commiſſus ei proponendus, & facies dulci rubore perfundenda; Quòd ſi tertia vice facinus patret, publicâ pænitentiâ plecti debet. Et an quis majorem ſuavitatem & efficaciam adhibere poſſit? quod enim cor poſt hæc media adhibita audeat murmurare, aut in defectum relabi? ſi enim habeat guttam puri ſangvinis, granum veræ Religionis, lapſum timebit velut peſtem, ſeipſum incuſabit, & damnabit, ſi ex mera infirmitate & debilitate relabatur. *Idem Ibid. C. 1.*

70. Quia vulnera illius, qui incidit in latrones, & jumentô corporis pii Samaritani Eccleſiæ eſt deportatus in ſtabulum, non in ſolo oleo, ſed in vino

ſimul

ſimul & oleo ſanitatem recipiunt, neceſſarium habet Spiritualis medicus, etiam vinum fervidi zeli cum oleo manſuetudinis, cui ſanè convenit, non modò conſolari puſillanimes, ſed & corripere inquietos. Si enim viderit illum, qui vulneratus eſt, id eſt, qui peccavit, blandîs aut lenibûs hortamentîs, quæ in eum prorogatæ ſunt, minimè emendatum, magìs etiam fortè abutentem ſua manſuetudine & patientia negligentiorem fieri, & in peccato ſuo etiam ſecuriùs obdormire, fruſtratô tam ſuavium oleô monitorum, oportebit ſanè mordacioribûs, & vinum cõpunctionis infundere, durîs videlicet cum eo increpationibûs, atque invectionibûs agere, & ſi cauſa requirit & duritia tanta eſt, etiam cenſuræ Eccleſiaſticæ baculô percellere contemptorem. *S. Bernard: Ser: 44. in Cantica.*

Sed in utroque diſcretio.

71. Verum tamen oportet, ut priora ſibi vendicet compaſſionis affectus: alioquin in Spiritu vehementi conterimus naves Tharſis, conterimus quaſſatum calamum, extinguimus lignum fumigans. ſed cùm uterque aderit videlicet & compaſſionis affectus, & zelus juſtitiæ, neceſſe eſt, ut adſit Spiritus

discretionis, ne fortè cùm oportebat hunc exhiberi, ille procedat, & indiscretio ipsa confundat universa. Habeat igitur mens nostra tertium Spiritum discretionis, ut miscens aptè temporibus tempora oportunè æmulari, & nihilominus ignoscere sciat. Samaritanus sit custodiens & observans, quando oleum misericordiæ, & quando vinum fervoris exhibeat. *Idem Serm: 2do Temp: Paschal.*

Prælatus sit memor suæ fragilitatis.

72. Sanctus Paulus in tertio Cælo didicit modum regendi animas: audiamus itaque quid dicat: Quòd si aliquis titubet (: inquit :) & vacillet, vos qui verè spirituales estis defectum ejus ei proponite, sed in spiritu magnæ suavitatis & lenitatis, & advertite, quòd qui tàm severè alios reprehenditis, forsitan crastina die in deteriùs graviores lapsuri estis. Et an velitis, quòd post vestrum lapsum is, quem tam acriter increpâstis, etiam tam acriter vos objurget, vobisque dotem augeat, sicut vos auxistis defectum, quem ille commisit. *Ren: Franc: Id. C. 1.*

73. Accusare vitia, officium est bonorum Virorum & benevolorum Quod cùm mali faciunt, a-

lienas

lienas partes agunt. Et ideò ſicut S. Auguſt: dixit: Cogitemus cùm aliquem reprehendere nos neceſſitas cogit, utrum tale ſit vitium, quod nunquam habuimus, & tunc cogitemus nos homines eſſe, & habere potuiſſe vel tale, quod aliquando habuimus, & jam non habemus, & tunc tangat memoriam communis fragilitas, ut aliam correctionem non odium, ſed miſericordia præcedat: ſi autem invenimus nos in eodem vitio eſſe, non objurgemus, ſed congemiſcamus, & ad æqualiter cavenda invitemus. *S. Th. 22. Q. 33. a. 5. ex S. Aug.*

74. Nonnulla ſunt leniter arguenda, nam cùm non malitiâ, ſed ſola ignorantia, vel infirmitate delinquitur, profectò neceſſe eſt, ut magno moderamine ipſa delicti correptio temperetur. Cuncti quippe quouſque in hac mortali carne ſubſiſtimus, corruptionis noſtræ infirmitatibus ſubjacemus; Ex ſe ergo debet quiſque colligere, qualiter alienæ tunc oporteat imbecillitati miſereri, ne contra infirmitatem proximi, ſi ad increpationis vocem ferventiùs rapitur, oblitus ſui eſſe videatur. Unde benè Paulus admonet dicens. *Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite hujuſmodi in Spiritu manſuetudinis, conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris.* Acſi apertè dicat: cùm diſplicet ex

aliena

aliena infirmitate quod conſpicis, penſa quod es, ut increpationis zelô ſe ſpiritus temperet, dum ſibi quoque, quod increpat timet. Nonnulla autem ſunt vehementer increpanda, ut cùm culpa ab authore non cognoſcitur, quanti ſit ponderis, ab increpantis ore ſentiatur. Et cùm ſibi quis malum, quod perpetravit levigat, hoc contra ſe graviter ex corripientis aſperitate, pertimeſcat. Debitum quippe Rectoris eſt, ſupernæ Patriæ gloriam per vocem prædicationis oſtendere, quanta in hujus vitæ itinere tentamenta antiqui hoſtis lateant, aperire, & Subditorum mala, quæ tolerari leniter non debent, cum magna Cæli aſperitate corrigere, ne, ſi minùs contra culpas accenditur, culparum omnium reus ipſe teneatur. *S. Gregor: Paſt: C. 10. P. 2.*

Correptio elati, laude temperanda.

75. Conſiderandum verò eſt, quòd plerumque elatos utiliùs corripimus, ſi eorũ correptionibus quædam laudum fomenta miſceamus. Inſerenda namque illis ſunt, aut alia bona, quæ in ipſis ſunt, aut dicendum certè, quæ poterant eſſe, ſi non ſunt. Et tunc demum reſecanda ſunt mala, quæ nobis diſplicent, cùm priùs ad audiendum eorum placabilem

men-

mentem fecerint præmissa bona quæ placent. Nam & equos indomitos blanda priùs manu tangimus, ut eos nobis pleniùs postmodùm etiam per flagella subigamus. Et amaro pigmentorum poculo mellis dulcedo adjungitur, ne ea, quæ saluti profutura sunt in ipso gustu aspera amaritudo sentiatur. Dum verò gustus per dulcedinem fallitur, humor mortiferus per amaritudinem vacuatur. Ipsa ergo in elatis invectionis exordia, permixta sunt laude temperanda, ut dum admittunt favores, quos diligunt, etiam correptiones recipiant, quas oderunt. Plerumque autem persuadere elatis utilia meliùs possumus, si profectum eorum nobis potiùs, quàm illis profuturum dicamus, si eorum meliorationem nobis magìs, quàm sibi impendi postulemus. Facilè enim ad bonum elatio flectitur, si & aliis ejus inflexio prodesse credatur. *Idem P. III. C. 17.*

Regulæ S. Francisci in servando regimine.

76. Quis unquam crederet S. Franciscum Patrem & Generalem sui Ordinis, qui tam rigorosus fuit suo corpori, quod vocare solebat suum asinum

quodque nihil aliud spirabat, quàm maximam austeritatem, fuisse tam dulcem in suo Regimine, ut maluerit abdicare Generalatum, quàm clementiam in regimine Religionis remittere. In cujus Opusculis legimus eum Gvardianis interrogantibus, quem modum in regimine servare deberent, sequentes regulas præscripsisse, *Primò.* Sitis medici, & non carnifices, hoc est, defectus Subditorum vestrorum corrigite fraterna benignitate, & non rigore & suppliciis indignis personis vestris & officio Patris. *Secundò.* Verum regimen consistit in quinque verbis, nempe: in vigilantia, amore, supportatione, ignoscentia, pastu boni cibi & dulcis doctrinæ Agni Christi IESU. *Tertiò.* Verus Prælatus debet esse hostis vitiorum, benignus medicus perversorum, quos sensim curabit. *Quartò.* Non faciliter credatis garrulis & delatoribus, qui toti sunt in observandis defectibus aliorum; nam hi communiter aliis perversiores sunt, & ne defectus eorum observentur, nonnisi de defectibus aliorum loquuntur. *Quintò.* Ne unquam inauditum condemnetis, estò accusator foret Sanctior, nam aliàs errores irreparabiles committetis. *Sextò.* Ego abdico Generalatum, quia volo corrigere tantùm meô exemplô & efficaci dulcedine meorum monitorum, si hoc non sufficiat, nolo in castigando esse carnifex velut sæcularis. Hæc sunt

ipsa-

ipſamet verba Sancti. *Septimò.* Angue pejus deteſtemini vitia, amate autem ex corde eos, qui deliquerunt; nam veſtra bonitas eos convertet. *Octavò.* Quòd ſi aliquis fuerit lapſus, Guardianus ſi delinquenti bene velit, ſi DEUM amet, ſi velit eſſe Filius DEI, dicat cum Chriſto; mi Fili peccâſti; ne ampliùs pecces: Hæc à bono Guardiano deſidero. *Nonò.* Forſan coram DEO es pejor eo, cui præes, & tamen ſanum & vivum illum vis devorare; an hoc con conſideres, nec cogites, quod forſan cras ſit futurus tuus Superior? an velles hôc modô ab eo regi? *Decimò.* Res intoleranda eſt, quòd dum Subditus vult Superiorem, qui ſit totus ſuavis, Superior ſit truculentus & tyrannus, præcipuus in virga, & cum tam exiguo reſpectu. *Idem Ibid.*

Diluuntur objecta contra Manſuetudinem & lenitatem Prælatorum.

77. Verum contra hæc reſpondebunt rigoris & ſeveritatis Patroni, quòd ex Spiritûs Sancti teſtimonio: Parcens virgæ pervertat filios ſuos. Nam Heli fuit punitus & caſtigatus morte, fuit orbatus filiîs, Arcâ DEI, vitâ, honore, dignitate Sacerdotali, quia

li, quia non punivit filios, & nimìs lenem erga illos se exhibuit, adeò, ut ipsemet DEUS hanc causam totalem ejus ruinæ asserat. Quomodo disciplina, vigor Ordinis manuteneri possit; nisì adhibebeatur rigida disciplina? corruet vita regularis; si Prælatus facilis est, & discretus, nil boni efficiet, insolentes, perversi, semper vincent: boni, morigeri, opprimentur, succumbent, & graves murmurationes, periculosa schismata, turbulentæ factiones suscitabuntur. Et ùt habetur apud S. Bernardum. Quid agimus, quòd nonnulli dura cervice & attrita fronte sunt, ut quò magìs eis compatimur,, tantò magìs & nostra compassione, & patientia abutuntur. Nonne sicut compatiebamur Fratri: ita ,,ipsi justitiæ compatiendum est, quam videmus tam ,,impudenter abjici, tam imprudenter provocari? ,,scio, quia si quæ in nobis est charitas, contem-,,ptum hunc DEI ferre æquanimiter non possumus. ,,Hic est zelus justitiæ, quô adversus delinquentes ,,accendimur, tanquam pietate ducti erga eam, ,,quam contemni videmus, Justitiam DEI. Verum tamen audiant iidem S. Doctorem sibi respondentem, in his priora sibi vendicare compassionis affectum, alioquin in spiritu vehementi, conterimus naves Tharsis &c. ùt supra. Sed & Sanctissimus Pater N. Benedictus in sua Sacerrima Regula ordinat,

ut Ab-

ut Abbas *Studeat magis amari, quàm metui ut, misceat temporibus tempora, terroribus blandimenta.* Porro circa pænas culparum mandat, ut delinquens moneatur semel, & iterum, ac tertiò, quòd si de tunc „non emendaverit, graviori pænæ subjacet. Hinc „S. Bernardus damna immoderatæ correptionis e„numerans ait: Videas multos, sincera licèt inten„tione & benignitate accedant, leviter dicere, quod „graviter audiatur. Volat irrevocabile verbum, & „quod sanare debuerat, sed quia mordacius fortè „videtur, exasperat, & exulcerat magìs, quando „negligentiæ additur impudentia, etiam & impa„tientia cumulatur, ut qui sordidus est, sordescat „adhuc, & declinans in verba malitiæ ad excusan„das excusationes in peccatis, ac more phrenetici „non solùm repellens, sed & mordere tentans me„dici manum. Servanda igitur in correptione Re„gula ab eodem S. Patre, præscribens: quòd Prælati „Ecclesiæ aliquando rigidè, aliquando cum dulce„dine, aliquando cum asperitate, aliquando verbîs, „aliquando flagellîs debent subjectos suos corrige„re. Quia ille qui blandîs verbîs castigatus non „corrigitur, necesse est, ut acriùs corrigatur, & ar„guatur, cum dolore enim abscindenda sunt vulne„ra, quæ leviter sanari non possunt. Qui secretò „admonitus de peccato, corrigi nequit, publicè est

„argu-

„arguendus & vulnus quod occultè ſanari nequit, „manifeſtè debet emendari, palàm ſunt arguendi, „qui palàm nocent, ut, dum aperta objurgatione ſa„nantur, hi, qui eos imitando, deliquerunt, corri„gantur, ut, dum unus corripitur, cæteri emenden„tur. *Euſtach: lanka.*

Fructus manſueti regiminis.

78. Quando aliquis ſuaviter & leniter regit, Is *primò* regit faciliter *2dò* regit abſque ſollicitudine & labore. *3tiò* non eſt præceps in negotiis, & omnia facit ſinè ſtrepitu. *4tò* Non præoccupatur, nec aliquid facit inconſideratè. *5tò* Sibi devincit corda ſubditorum & à bonis quidquid vult obtinet. *6tò* Oſtendit à minùs bonis injuſtitiam ſtare, eoſque eſſe culpabiles, & eos, à toto mundo, ùt tales, damnari. *7mò* Ipſimet reſpiciunt, & citiùs aut ſeriùs coguntur agnoſcere ſuum peccatum & defectum. *8vò* Meliùs & exactiùs imitantur regimen Chriſti. *9nò* Perfectiùs mundat ſuum cor, & illis qui abutuntur ſua bonitate utitur velut inſtrumentis ſuæ humilitatis & charitatis. *10mò* Citò vel ſerò per patientiam & longanimitatem omnia negotia ad felicem exitum perducit. *11mò* Nunquam labitur, velut illi, qui

quam-

quamvis per rigorem obtineant aliquid boni, tamen plura mala faciunt, & tandem subeunt magnos labores, conficiuntur magnîs pænîs, & vix aliquis erit, qui eis gratias agat. 12mò Ex paucis malis, quæ suffert in subditis, sibi & suis subditis multa bona elicit. 13tiò Illi ipsi, qui sunt difficiles & refractarii sensim mansuescunt, remittunt, & bonitatem Superioris agnoscunt, deprædicant, & dicunt, quòd non obstante, quòd virgâ disciplinæ eos ad observantiam adigere potuerit: eos potiùs voluerit lucrari, & cor aureis catenis charitatis ligare. *Idem Ibid. C. 5.*

Prælatus minus nocet mansuetudine quàm possit severitate.

79. Verum quidem est: quòd aliquis possit abuti bonitate Superioris, sed hi non sunt, nisi aranei, qui fel & venenum ex floribus sugunt. Soli mali clementia & mansuetudine Superiorum abutuntur. Verùm rigor etiam bonos sauciat, & meliores lædit, & ipsi prudentiores austeritate & rigore magis offenduntur. Accedit, quòd illi, qui abutuntur svavitate, & libertatem arripiunt, tandem sincerè fateri debeant, quòd id purè ab eorum malitia processe-

cesserit. Et quamvis ipsi hoc non faterentur, attamen totus mundus eorum malignum genium & perversitatem sugillabit. Verùm illi, qui à rigore offenduntur, continuò severitatem Prælatorum traducunt, & inveniunt, qui eorum opinionem confirment, & citò aut seriùs volunt, suam innocentiam prodi, & austeritatem suorum Prælatorum agnosci. *Idem Ibid. C 1.*

Exemplum Abbatis Popponis,

80. Dum quadam die Sancto Abbati Popponi Viro eximiæ mansuetudinis objiceretur; quòd sua nimia humanitate Monasterium & Monachos perdidisset, objurgatores sic affatus est; Amantissimi Confratres, me felicem censerem, si ob nimiam charitatem, mansuetudinem, dulcedinem, damnarer. Nam Christo JESU dicerem: Eccur nobis commendâsti humilitatem cordis, mansuetudinem, clementiam, si nolueris eam à nobis exerceri, & ob illam exercitam nos damnes. *Idem Ibid. eod. C. 1. N. 17.*

Exem-

Exemplum alterum manſvetæ correptionis.

81. Aderat Sacro, quod, neſcio quis Sacerdos, parùm ſanè religioſè faciebat, magnus ille ſervus DEI, Joannes Avila. Quem Sacerdotum normam, ſi me opinio non fallit, ſæculô proximè præteritô DEUS eſſe voluit; aderat inquam & intus urebatur. Cùm porro ferre non volens illam ſeu inhumanitatem, ſeu indignam agendi rationem, qua videbat tractari Corpus ſui Servatoris, perinde acſi non aliud, quàm cibus aut fruſtillum panîs eſſet; ſurrexit, & Altari modeſtè propior factus, ſimulans ſe cereum ad latus pendentem erigere, ad Sacrificantem ſe convertit, qui tum ipſam Sacram Hoſtiam in linteum reponebat, voce ſubmiſſa quidem, ſed vultu ignem ſpirante, ſic eum affatus; *Tracta illum reverenter: eſt enim Filius Parentis nobilis, & nobilis Matris.* Voluit monitio hæc tam ſuavis ad ſuffundendum ſalubri pudore Sacerdotem, qui proin mox à peracto Sacro, ad genua prudentis ſui Monitoris provolutus, eum deinceps animi ſui arbitrum conſtantem, & melioris vitæ Ducem elegit. *Paul: Segn. Inſtit. Paroch. C. 14.*

Tertium à similitudine tenelli agni.

82. Si quando aliquem rigorem adhibere debeas, exhibe te Sanctum Franciscum Xaverium, ita, ut multò lubentiùs ipsemet faceres pænitentiam, quàm alteri eam imponas, Dum poples tenelli agni diffractus est, bonus Opilio non conquatit alterum, nec agnum idcirco verberat, sed medicinam adhibet, tibiam fractam diligenter circumligat, agniculum sinu gestat, mulcet, & suaviter tractat, ita, ut misera bestiola os non aperiret, estò Pastor eam decollaret. Innocens illud animal in tam bonis manibus nil adversi invenire potest. Quod si aliquis te contemnat, potiùs ei condole, quàm odio eum habeas, dicas, te, hoc, aut multò pejora mereri, totus mundus adorat Superiorem, qui se humiliat, è contra, conatur alium deprimere, qui super alios se extollit. - - - Ne cor crucies, ne sis inquietus, sed mox, ùt subditus agnoscit se peccâsse, redi ad tuam tranquillitatem, & ei cor aperi, nec unquam sis obstinatus, nec pertinaciter & asperè defendas tuam innocentiam, sed imitare David & S. Bernardum, & dic: audiant mansueti & lætentur. Ego me committo animarum judicio mansuetarum & benignarum, si hæ me condemnent, etiam me

conde-

condemno, & candidè meum defectum cognoſco, omnes illos, qui bonum habent cor, meos judices conſtituo, quod ſi hi me defendant, DEUS laudetur. *Idem Ibid. C. 5.*

Dura ſvavibûs temperanda.

83. Circa profectum animarum, reformationem morum, vitæque emendationem eorum, quibus ſpiritualiter præſunt Paſtores, invigilent, nunc minîs terrendo, nunc demulcendo ſermonibûs blandîs, interdum ratione perſuadendo, interdum authoritate mandando, aliquando puniendo, nonnunquam parcendo miniſterium ſuum perficiant, ita tamen, ut non quod ſibi placeat, ſed quod commiſſis ſibi ſit utile, pio ſemper quærant fraternæ charitatis amore. Hoc profecto tunc, Chriſti ſecum operante virtute agere valebunt, cùm plebem Fidelium in viſceribus ſuſcipient charitatis, & unumquemque complectendo compaſſionis brachiîs tanquam Fratrem & Filium diligent, & veluti cohæredem & comparticipem fu urum Cæleſtis Regni fovere atque adjuvare curabunt.

Dissimulatio interdum utilis.

84. Expedit pleraque levia non patienter ferre tantùm, sed ea velut incognita præterire, ne, gubernator occasionum ultricis justitiæ captator, videatur, fiatque proinde invisus, unde pejora contingant. Hinc efficitur, ut Prælati à prudentia celebres verbîs artificiosè compositîs leviorum culparum, quarum conscii sunt, ignorantiam crebrò confingant. Tum ne impunitas concessa, sed fortuita credatur, tum etiam ne Subditorum cervicibus incumbere, & ab eis summum jus exigere velle existimetur; quod animi Subditorum horrent. Profectò Christus Apostolos rudes imperfectioresque tulit, nec leves culpas, quas nonnunquam admittebant, exprobrare seu pensitare consuevit, licèt eos interdum suavissimè potiùs instrueret, quàm corriperet, quod ex ipso Evangelico Textu perspici potest. *Ioan. à IESU Art. guber. C. 16.*

Svavitas regiminis in quo consistat?

85. Sciant svavitatem in eo sitam esse, si in objurgationibus *v. g.* nihil asperum, aut iracundum, aut per-

ut perturbatum appareat, ſed pâterna gravitas, pia quædam compaſſio, & dulcedo quædam, ſed vivida tamen, & efficax eluceat, ſi à puniente non tam voluntas humiliandi & caſtigandi, quàm neceſſitas quædam ex zelo boni communis & utilitate etiam ipſius, qui punitur, aliquid extorſiſſe videatur. Si negemus, quod negandum eſt, quaſi cum quodam doloris ſenſu, parati concedere quando, & quod expedire videbitur; ſi imperfectiones ita emendare velimus, non quaſi nimium emungentes, ne ſangvinem eliciamus, verùm quaſi exactores quidam benigni tamen, qui non veluti vincendi ſtudiô, ſed in bonum ſocietatis, atque adeò ipſius Subditi id velimus, ac ſi cum ipſo in unum conſpiremus ad victoriam de tentatione reportandam. Si jubentes circumſpectè, & amanter DEI gloriam & Subditorum lucra, non aliud quidpiam nos quærere oſtendamus, ſi, quod hodiè non præſtatur, patienter in craſtinum expectemus, ita tamen, ut ſemper expectatio finem ſpectet, & media applicet accuratè: ſiquidem quod ex inopia Spiritûs à Subdito obtinere non valemus, nulla ratione efficaciùs, aut ſuaviùs conſequi poterimus, quàm ſi ille diligens ſui ſcrutator, & ſpiritualis evaſerit: ſi denique ita in viſceribus charitatis cum ſubditis agamus, ut & ſuas tentationes in noſtrum, veluti Matris ſinum facilè deponant, ut vi-

ciſſim

cissim correctiones nostras, sive quæcunque à nobis proficiscuntur, tanquam ab amore profectas, repugnante licèt sensu, animô tamen non exacerbatô, suscipiant. Hoc S. Ignatius docuit, cùm *9na part: Constit:* severitatem cum benignitate & mansuetudine ita miscendam docet, ut nec flecti Superior sinat ab eo, quod DEO ac Domino nostro gratius fore judicaverit, & tamen filiis, ùt convenit, compati noverit, eo modo se gerendo, ut etiam, qui reprehenduntur, quamvis secundùm inferiorem hominem, quod agitur, displiceat, agnoscat nihilominus, quòd rectè in Domino & cum charitate ille officium suum faciat. *Pr. Claud: S. I. Libr: Indust. C. 2.*

Svavitati quæ sunt contraria?

86. Quæ enim gubernationem insvavem reddunt, hæc ferè sunt; *1mum* in rebus injungendis, si res ipsa, quæ imponitur, gravis sit, & importabilis, quod nonnunquam ex Superioris, vel discretionis inopia, vel tenuitate judicii poterit evenire. *2dum* Quod frequentiùs continget, si res illa, non sit quidem in se ardua: sed is, cui injungitur, corporis aut animæ viribûs ad id oneris ferendum, destituatur. *3tium*, Si, quid quid illud sit quod injungitur, id fi-

at ver-

at verbîs aſperioribûs, modôque deſpoticô, præſertim verò, ſi ſuſpicari quis poſſit, id ab aliquo immoderato Superioris affectu proficiſci. *4tum* Si urgeatur executio eo tempore, quo ſubditus non eſt probè diſpoſitus, nec detur illi tempus & auxilia, ut ſe ſe diſponat. *5tum* Si tam graviora, quàm leviora eodem omnia exigantur ardore, imò aliquando leviora etiam majore, quòd conſona ſunt peculiaribus quibuſdam ſenſibus illius, qui gubernat. *6tum* Si omnes Subditi rationes & excuſationes primo ſtatim aſpectu, tanquam tentationes, eo benignè non audito rejiciantur. *7mum* Si ſe ſuſpicioſum Superior oſtendat, & ita affectum erga aliquem, ut putet Subditus nulla in re poſſe illi ſatisfacere. *8vum* Si malam de ſubdito opinionem præ ſe ferat, ut omnia in deteriorem partem interpretetur, quod re vera ſummoperè affligit. *9num* Si perfectionem inſtituti & regularum ſpectans Superior, nec ſe ipſum conſiderans, neſciat compati infirmitatibus, ſed defectus exageret, cùm errata deprehendit: in rebus verò injungendis non tanquam rationabilem & volentem filium, ſed tanquam inanime inſtrumentum movere videatur. *10mum* Si ita loquatur, aut jubeat aliquid, ut æquivocè aut obſcurè dicat, & quaſi ſtudiô nolit intelligi, quò ſemper ei liberum ſit, Subditum arguere. *11mum* Si neget ferè, quæ petuntur; eſt enim haben-

habenda ratio rei, quæ petitur ejus, qui petit ædificationis externorum & nostrorum, denique qui petit utilitatis. *12mum* Si quæ dubia sunt, semper scrupulosiùs & rigidiùs interpretetur. *P. Claud: S.I. Indust: C. 2.*

Prælatus quomodo se gerere debeat in annuendo vel renuendo.

87. Principia Sanctorum, ut habeant Regimen efficaciæ plenum, sunt: Ne feras mandata præcipitanter, & quasi ex despectu. Cave ne aliquid præcipias dum es iratus, & bile inflammatus; quia dicetur, quòd hoc facias ex passione & non ex motivo obedientiæ. Ne unquam contendas cum tuis Subditis, nec unquam cum eis dispures de causa mandati, quia hoc confert ad disputationem, non ad regimen. Cave ne nimiùm premas & coarctes, sed corde constricto da tempus, ut se se aperiat, & ad suum statum redeat. Dum aliquid negas, quod sæpe fieri debet, ita hoc facias, ùt quilibet videat, à te hoc illubenter fieri, utpote adacto à necessitate & Regula. Dicas, quòd alia vice, alia occasione, ei velis gratificari. Quòd velis scribere ad Superiorem,

ut gra-

ut gratiam postulatam obtineat. Qòod majorî gaudiô perfunderis si ejus votis annuere posses. Tandem, utì dicebat S. Ignatius, Si cor & sanguis Subditi turbetur ob repulsam, rationibûs eum convince, & ostende, quòd ita debeas facere, & non aliter possis. Dum postulata concedis, id fac lætanter; non cuncteris, humeros non contrahas, non murmures, nam post tot responsiones negativas, post tot ceremonias, gratia non reputabitur gratia. Et Subditus mallet repulsam candidam & sinceram, quàm concessionem quasi extortam. Amabilem te facito per amorem cordialem & paternum, & nullam experieris difficultatem. Quilibet putat se esse valde suavem, & in hoc puncto vix in minimo esse culpabilem. Quæso te non adeò sis passionatus & cæcus, ne tibi hoc imagineris, ne à tuis bonis intentionibus tibi obsucias obduci sinas, meliùs faceres, si contrarium judicares. *Rennat: Franc: id. C. s.*

88. Nec difficile erit videre quomodo efficacia cum svavitate conjungi debeat, ut, & fortes in fine consequendo, & suaves in modo & ratione assequendi, simus. In rebus enim vel concedendis, vel negandis, in correctionibus & reprehensionibus adhibendis, in puniendis erratis, in rebus injungendis in Subditis ad virtutem & perfectionem promovendis,

atque ad altiora provehendis ſpectandæ ſunt perſonæ, & vires corporis & animi, conſiderandæ opportunitates, exhortationes adhibendæ, charitas imprimis cum zelo præ ſe ferenda, longanimitas & patientia prolonganda, nec tamen propterea promittendum, ut Subditi ad impunitatem aſpirent, ut ea faciant, quæ volunt, quæ nolunt omittant, ut propriis inclinationibus ſatisfaciant, ut contra Superiorum juſſa & judicia agere, & ſapere aſſueſcant, ut Regulas conſilia putent, quæ ſi faciant, benè faciant, ſin autem, nihili mali, hæc enim tolerare, non eſt ſuavitatis, ſed languoris, neque hoc modo bono omnis Ordinis, imò ne ipſorum quidem, quibuſcum ita agitur, ulla ratione conſulitur. Non igitur Superiores arbitrentur ſe ſuaves in gubernatione eſſe, cùm ita agunt, ſed remiſſos ac debiles, nec ſibi contra, cùm aſperi ſunt, quaſi de diſciplinæ zelo blandiantur. Subditi verò ſtudium & zelum perfectionis, religioſæque diſciplinæ perpetuò promovendæ rigoris & aſperitatis nomine, non appellent. Nec talem exigant ſuavitatem, quæ noxia potiùs indulgentia ſit, ſed intelligant multa ſibi neganda, ſi ad DEI gloriam, ad commune bonum pertineant, correctiones & pænitentias ei, qui dirigi & emendari cupit, non eſſe averſandas, nec medicum cenſendum ſuavem, qui ex neglectu correctionis permittit, ne infirmum

offen-

offendat, morbos cum periculo creſcere. *Claud: Aquav: Induſt: C. 2.*

Prælato cum ipſa natura colluctandū.

89. Profectò major virtus, animus multò ſolidior exigitur ad Regimen ſuave, quàm ad Regimen aſperum: nam reipſa nihil aliud, quàm impotentia naturæ, vel quidam naturalis faſtus, aut occulta ſuperbia hominem tam elatum efficiunt, ut nec minimum ſufferre poſſit, & ſub prætextu zeli omnes ſuas paſſiones effundat, & ſuum amorem proprium qui nihil tolerare poteſt, prodat. Ariſtoteles optimè notat, debiliores ob imbecillitatem complexionis, impotentiam animi, eſſe crudeliores, aſperiores, magìs dominativos aliis, nihil ſufferre poſſe, ſibique ſemper imaginari quòd deſpiciantur. Idem docet experientia in decrepitis, nam ſenes infirmi, valetudinarii, moroſi, tumidi pravìs humoribûs, præditi mala complexione, illi, qui nulla eximia dote donati ſunt, tetrici, juvenes ſangvinolenti, igniti, cholerici ob meram impotentiam ſunt valdè dominativi. Cor magnanimum omnia hæc abſque ullo ſtrepitu devorat, & cuncta perfectè emendat. Verùm hæc corda exilia ſtatim arripiunt ignem, &

ſub prætextu zeli, tonant, & flammás ac ignem e-vomunt. Accedit argumentum validius, quo illi, qui aliàs valde mites ſunt, ſi aliquo morbo corri-piantur, aliqua moleſtia infeſtentur, aut grano pru-riginis mordeantur, fiant imperioſi, aſperi, ſeveri, i-ta, ut omnes mirentur eos cum Angelo Apocalypti-co, in Leonem mutatos. Et ſanè hoc nihil aliud eſt, quàm argumentum & ſignum evidens, illam ſeveritatem nihil aliud eſſe, quàm debilitatem & exiguum imperium, quod quis habet in ſuas pas-ſiones. Sapiens (: inquit Seneca :) nunquam iraſci-tur, nec à ſuis importunis humoribus ſinet ſe vinci. Beſtiolæ ad minimum tactum ſtatim mordent. Leo & Elephas nec caput movent ad aſpectum Catello-rum, qui eos allatrant. *Renn. Franc. C.* 1.

Inter lenitatem, & ſeveritatem me-dium tenendum.

90. Non nunquam manſueti, cùm præſunt, vici-num, & quaſi juxta poſitum torporem deſidiæ pa-tiuntur. Et plerumque nimia reſolutione lenitatis, ultra, quàm neceſſe eſt, vigorem diſtrictionis emol-liunt. At contra iracundi, cùm regiminum loca

perci-

percipiunt, quò impellente ira in mentis vesaniam devolvuntur, eò etiam Subditorum vitam dissipata quietis tranquillitate confundunt. Quos cum furor agit in præceps, ignorant, quid quid irati faciunt, ignorant quid quid à semetipsis patiuntur irati. Non nunquam verò, quod gravius est, iræ suæ stimulum, justitiæ zelum putant. Et cùm vitium, virtus, creditur, sinè metu culpa cumulatur, sæpè ergo mansueti dissolutionis torpescunt tædiô, sæpe iracundi rectitudinis falluntur zelô. Illorum itaque virtuti, vitium latenter adjungitur, his autem suum vitium, quasì virtus fervens videtur. Admonendi sunt igitur illi, ut fugiant, quod juxta ipsos est; isti, quod in ipsis est, attendant: Illi quod non habent, discernant, isti quod habent, amplectantur, mansueti sollicitudinem, damnent verò iracundi perturbationem. Admonendi sunt mansueti, ut habere etiam æmulationem justitiæ studeant; admonendi sunt iracundi, ut æmulationi, quam se habere éxistimant, mansuetudinem subjungant. Idcirco namque Spiritus Sanctus in Columba nobis est, & in igne monstratus: quia videlicet omnes, quos implet, & Columbæ simplicitate mansuetos, & igne zeli ardentes exhibet. *Idem Ibid: C. 16.*

Præla-

Prælatus ita mandet acsi rogare videretur.

91. S. Franciſcus nullum Superiorem ſibi parem habuit; hic quamvis fuiſſet Generalis ſui Ordinis, attamen vix aliquid ulli unquam legitur mandâſſe. Hic S. Vir dicere ſolebat: Chariſſimi Fratres, ſi Chriſto & mihi benè velitis, rogo vos, hoc faciatis. - - - Guardianis interrogantibus, qualiter bene regere poſſent? reſpondebat; Chariſſimi, imitemini JESUM Chriſtum; ſi aliquis peccaverit: dicite ei, ne ampliùs peccet, quodque libenter ei ignoſcatis, & curam habituri ſitis, ut proficiat, & deinceps cautior ſit: Quod ſi aliquis deliquerit, dicite, quòd etiam ſæpiùs delinquatis, & nisi DEUS vos præſervaret, majores & enormiores defectus committeretis. Porro dum ei objiceretur, quòd eſſet nimìs dulcis: Sanctus Vir, ùt aliàs dixi, verbum quoddam protulit, quod videtur paradoxum: volo (: inquiebat :) eſſe Pater, non carnifex, nec poſſum odio habere delinquentem, ſed ipſum delictum. *Rennat: Franc: Id. C. 4. N: 11.*

Speci-

Specimen boni Superioris David.

92. Specimen boni Superioris dedit David (: de quo S. Ambrosius *Lib. 2. Off. Cap: 7.* sic scribit.:) Quid S. David electus ex omnibus ad plebem regendam? quàm mitis & quàm blandus, humilis spiritu, sedulus corde, facilis affatu, ante regnum, se pro omnibus offerebat, Rex, cum omnibus æquabat militiam suam, & partiebatur laborem, fortis in prælio, mansvetus in imperio, patiens in convivio, ferre magìs promptus, quàm inferre injurias. Ita sibi gratîs officiîs plebem obligaverat, primùm ut in discordiis populi exulare in Hebron mallet, quàm in Jerusalem regnare. Deinde, ut etiam in hoste positam virtutem diligeret, justitiam etiam his, qui arma contra se tulerant, æquè ac suis præstandam putaret. Denique fortissimum adversæ partis propugnatorem Abner Ducem & inferentem prælia miratus est, & orantem pacis gratiam non aspernatus, honoravit conviviô, non respondebat convitiis; cum sibi derogaretur, oravit. Meritò sic expetitus est ab universo populo, ut venirent ad eum omnes Tribus Israel, dicentes; ecce nos ossa tua, & caro tua sumus. *Nicol: Lancic: Opusc: 12. C. 6.*

Præla-

Prælatus debet agere ex recta intentione.

93. Imitari in Regimine DEUM, facere ea, quæ sensati facienda judicant, ad hoc, ut boni Religiosi contententur, est res optima & æquum est, ut omni conatu quis hoc obtinere conetur, cor sedulò & exactè purgetur, intentio rectificetur, ne in hac aliud quæratur, quàm DEUS. Est facere id, quod exigit obligatio muneris. Verùm angi, cruciari, affligi, si aliquis causaliter offendatur, animum despondere, deserere svavitatem, benignitatem, meo sensu sapit aliquam impuram intentionem, inordinatum affectum, aliqualem amorem proprium. Facere omnia, quæ humanitus sunt possibilia, ut quis omnibus serviat, satisfaciat. Idcirco supportare omnes sinistros incursus, millenas calamitates, contradictiones, mortificationes, nec tamen desistere à bono cæpto, est sanè virtus eminens & cor verè Apostolicum. *Renn: Franc.*

Prælatus veluti invitus puniat.

94. Ut iræ impetum mitiges, necessaria est mãsvetudo, nec citra vel ultra recti limites hac in parte de-

te deflectas. Telum naturæ eſt ira, quô uti licet, cùm peccantes arguere ex officio teneris; cùm dictat prudentia, tuam vel alienam injuriam debitô modô repellendam eſſe, ne creſcat ex impunitate reproborum licentia. Crudelis eſt, tam qui nulli, quàm qui omnibus ignoſcit. Cùm verò juſtitia exigente puniendi ſunt rei, manſvetudinis & clementiæ memor eſto. Deſcende ad pœnas tanquam invitus, & talis eſto erga peccantes, qualis exiſtit erga te DEUS. Sicut ille te ſuſtinuit, ut meliorem faceret, ita illos ſuſtine, ut corrigantur. Deſpicis medicum, ſi deſperas ægrotum. Vir mitis iracundiæ pelago velut ſcopulus ſupereminet, fluctuſque impingentes diſſolvit; nec pænâ ſemper, ſed ſæpiùs pænitentiâ contentus eſt. Clamat coacto cætu humani generis Salvator Mundi: Venite omnes & diſcite à me, non curare infirmos, non leproſos mundare, nec cæcis lumen, aut mortuis vitam reddere, ſed quid? Diſcite inquit à me, quia mitis ſum. Ad hoc redigiſſe videtur omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ ſuæ, ut ab eo diſcamus mites eſſe. Tanta manſvetudinis præſtantia eſt. *Ioann: Bona. Manuduc. Cap. 32.*

95. Reſpondeo, cum S. Baſilio, non eſſe contra perfectionem Dñi paſſionum vehementer iraſci, &

reprehendere, & punire, si adsint quatuor conditiones. *Primò* Si justa sit causa iracundiæ. *Secundò* Si ira non præcurrat rationem, sed ab ea voluntariè imperetur, & quasi exurgere jubeatur. *Tertiò* Si sit conjuncta cum mansvetudine interna, perturbationē animi omnino excludente. *Quartò* Si non sit ullus excessus in reprehensione quò ad acerbitatem verborum, & feritatem gestuum, ac vultûs immoderatam, & quò ad gravitatem pænæ peccatum commissum in altero, castigante. *Nicol. Lancic: Opus. 4. Cap. 30.*

96. Ita vos circa subjectos debetis exhibere placabiles, ut rectitudinem vestram diligere provocentur potiùs, quàm timere: quorum si culpa fortè popoposcerit, ita excessus emendare curabitis, ut paternum affectum de animo, nullo modo relinquatis. Estote, in custodia commissi gregis vigilantes, atq; solliciti, & disciplinæ zelô districti, ut lupus insidians nec ovile turbare Dominicum, nec nocere ovibus aliqua fraudis occasione prævaleat. Animarum lucrum DEO nostro tuta mentis intentione facere festinate, nomen vos Pastoris non ad quietem, sed ad laborem, suscepisse cognoscite. Exhibeamus ergo in opere, quod significamur in Nomine. *S. Greg: M. Epist: Lib. 2. Ind. 10. Epist: 23.*

Prala-

Prælatus debet esse vigil.

97. Pastorum est vigilare super gregem propter tria necessaria: videlicet, ad disciplinam, ad custodiam, ad preces. Ad disciplinam, propter morum correctionem, ne grex commissus propriâ molestiâ deficiat. Ad custodiam, propter diabolicam suggestionem, ne hostili seducantur calliditate. Ad preces, propter tentationum instantiam, ne vincantur à pusillanimitate. In disciplina, rigor justitiæ. In custodia, Spiritus consilii. In prece, affectus compassionis. *Idem Ibid.*

Discrimen inter Prælatũ & Subditũ.

98. Quantum distat inter Pastorem & gregem, tantum debet distare inter Episcopum Prælatum aut Superiorem & Plebem. Stat ille sublimis & erectus, curvat iste caput solo depressus. Unde Poëta

Pronaque cùm spectent animalia cætera terram
Os homini sublime dedit.

Ille regit, iste regitur, ille pascit, iste pascitur, ut ex ipsa forma & habitu uterque discernatur, habet ille in manu virgam, qua feriat, vel potiùs ducat, vel

reducat ovèm. Quid est autem habere in manu virgam, nisi in opere disciplinam, ut subjectos suô exemplô magis instruat, quàm verbô. Erubescunt enim superbi esse discipuli, si eos in humilitate præcesserint Magistri. Unde & de Domino scriptum est: quòd cæpit JESUS facere & docere. Habet etiam baculum, quô feriat lupum, virgâ ovem, baculô lupum: hoc est, mites, obedientes, debent leviùs corrigere; duros verò corde & improbos, acriùs arguere, cùmque necesse fuerit, etiam anathematis sententiâ ferire. Tenet canem in fune, zelum scilicet in discretione, ne sit de illis, de quibus scriptum est: habent zelum (: aliàs æmulationem DEI :) sed non secundùm scientiam. Habet etiam Pastor bonus panem in pera, hoc est, Verbum DEI in memoria. *S. Bernardus Claraval. Lib. Senten.*

In Prælatos negligentes Deus severè animadvertet.

99. Sciat Superior non minus sibi pro illis, quos regit, quàm pro se ipso laborandum esse, ùt enim pro se, ita pro illis rationem reddet, cùm semel eorum salutem procurandam susceperit. *S. Nilus Abb. Lib. Ascet.*

100. Si ita eſt, ſicut dubitandum non eſt, ac propterea inimici (: Diaboli :) iſtius vis conjuncta eſt cum incredibili ſtratagematum inventionumque varietate. Quis Superiorum non contremiſcat, ſi conſiderat monſtrum, & inimicum adeò terribilem contra tam nobiles creaturas, ſub ſuo regimine & protectione conſtitutas, adeò efferatum, cædeſque ſpirantem capiti ſuo imminere? S. Paulus Spiritu Prophetico præſentiens damna, quæ lupus iſte rapiens, & ab eo miſſi Fidelibus Miletanis in ſua abſentia illaturi eſſent, per integrum triennium nocte & die non ceſſavit cum lachrymis monere unumquemque, ut ſe munirent, firmique in fide & doctrina ſua, ipſis tradita, perſeverarent. Quid ergo non faciendum eſt Superiori, ut impediat, ne hæc cruenta beſtia ſuis ovibus damnum inferat? credetne is deinceps ad eas præſervandas ſufficere, ſi illas viderit, exercitia communia frequentare, vel ſi cum ſingulis quò ad particularem cujuſque diſpoſitionem nonniſi obiter, ter vel quater in anno, conferat. An exiſtimabit ſe coram DEO levi excuſatione de Fratrum jactura inſontem fore, ſi hæc, illius negligẽtiâ contingat? neque vigilaverit, ut agnoſceret machinationes occultoſque Sathanæ conatus, neque adhibuerit ſuas orationes, lachrymas, & frequentes exhortationes, quibûs unamquamque in ſua vocatio-

ne &

ne, & singulari fidelitate, DEO servitia debita confirmaret? num audebit posthac indormiscere, & à communitate, sinè urgenti necessitate, abesse, sciens lupos infernales circumvagari, nec aliud expectare, quàm opportunitatem invadendi gregem? certè non, si sapit. *Ioach le Cont. Dioptr. Die 1. Med. 1.*

101. Videamus ergo, quod dicat Dominus, Qui se dicit vivere: utrum dicat ablaturum se oves à Pastoribus malis pescentibus se ipsos, non oves; & daturum se eas Pastoribus bonis pascentibus oves, non se. Vivo ego dicit Dominus, quia pro eo, quòd factæ sunt oves meæ in comesturam omnibus bestiis campi, eò, quòd non esset Pastor. Rursus Pastorem dicit, & paulò ante & nunc non ait, ex eo, quòd non sint Pastores, quibus enim talibus malè errantibus, malè pereuntibus non est Pastor, & si præsens est Pastor, quia & cùm præsens est lux, non est cæcis lux. Et non quæsierunt Pastores oves meas & paverunt Pastores se ipsos, oves autem meas non paverunt. Propter istud, Pastores audite Verbum Domini; sed qui Pastores audite? Dicit Dominus DEUS. Ecce ego super Pastores, & requiram oves meas de manibus eorum. Audite & discite oves DEI. A malis Pastoribus inquirit DEUS oves suas, & de manibus eorum inquiret mortem earum. Di-

cit enim alio in loco per eundem Prophetam. Fili hominis ſpeculatorem dedi Te domui Iſrael, & audies ore meo ſermones, & præmonſtrabis eis ex me. In eo, cùm dixero peccatori, morte morieris, & non fuerit locutus, ut impius caveat à via ſua: Ille facinoroſus in ſuo facinore morietur, ſangvinem autem ejus de manu tua requiram. Tu autem ſi p ænuntiaveris facinoroſo viam ejus. ut avertatur ab ea, & non fuerit averſus à via ſua, ille in facinore ſuo morietur, & tu animam tuam liberabis. Quid eſt Fratres? videtis, quàm ſit tacere periculoſum. Moritur ille, & rectè moritur in impietate ſua, & à peccato ſuo moritur, negligentia enim ejus occidit illum. Nam Paſtorem inveniet viventem, qui ait: vivo ego dicit Dominus DEUS. Sed cùm fuerit negligens non admonente illo, qui ad hoc eſt præpoſitus & ſpeculator, ut admoneat, & ille juſtè morietur, & ille juſtè damnabitur, ſi autem dixeris, inquit, impio: morte morieris; cui ego fuero gladium comminatus, & ille neglexerit vitare imminentem gladium, & venerit gladius & interficiet eum, ille in peccato ſuo morietur, tu autem animam tuam liberâſti. Propter quod, ad nos quidem pertinet non tacere, ad vos autem, & ſi taceamus de Scripturis Sanctis, verba Paſtoris audire. *S. Aug: de Paſt. & Ovib:*

102. Nos miseri (: exclamat S. Gregor: *Homil: 17. in Evang:* cunctos Prælatos & Superiores alloquens :) quid dicturi sumus, qui ad Dominum vacui redimus? qui Pastorum nomen habuimus, & oves, quas nutrimentô nostrô debemus ostendere, non habemus. Pensemus, qui unquam (: an unica saltem anima :) per linguam nostram (: bonîs & efficacibûs instructionibûs :) conversi? an correctionibûs nostrîs promoverimus ad pænitentiam agendam? quomodo impenderimus talentum, quod DEUS in manus nostras dedit? ubi enim fructus nostrarum vigiliarum & sollicitudinum pro bono profectu Fratrum nostrorum? Ecce jam venit (:Dominus:) ecce de negotio nostro lucrum requirit, quale illi animarum lucrum de nostra negotiatione monstrabimus? quid dicemus illi? O! in quanta tunc tristitia se sentient Superiores negligentes, qui eò, quòd se nimium negotiis temporalibus, aliisque similis farinæ immerserint, parum vel nihil laboris adhibuerunt pro spirituali progressu in perfectione Religiosorum suorum, contenti videre illos crucem suam trahentes, & viventes sinè scandalo, nec in graviora scelera lapsos. Quæ confusio eorum vultus operiet tunc, cùm illi ipsi Religiosi, qui magna cum difficultate salvantur, eos accusabunt in tremendo DEI judicio, quòd fuerint in causa, quò minùs in virtute profecerint,

cerint,

cerint, quòd thesauros meritorum non comparave-rint; quòd ad culmen perfectionis, quò poterant, non pertigerint, quòd DEUS illis non communica-verit eas gratias, quas dedisset, si benè fuissent infor-mati, excitati, & coërciti intra officii sui cancellos, & in amore suæ vocationis conservati. *Joach. le Cont. Diopt. Die 3. Med. 1.*

103. Quadam vice vidi Pastorem per montes, per valles insectantem, ovem errabundam, quæ sal-titabat per rupes, ut à Pastore fugeret. Miser ho-mo occurrebat per nives, glacies, sed tandem ceci-dit in præcipitium, & miserè occubuit. Alter ut e-um liberaret, post eum insiliit, sed totum contritũ discerptum, ac mortuum eum invenit. Sanctus ita-que Prælatus (: Franciscus de Salez :) cæpit flere & dicere: o! DEUS, & quàm non sit hæc in signis le-ctio pro Episcopo & Superiore? Hic miser homo periit, ut salvaret ovem fugitivam & errabundam. Et ego eheu! o! me miserum, ut juvem animam perditam tam exiguum zelum habeam, ut minima res mundi me detineat, & numerem omnes gres-sus meos, omnes labores meos, o mi DEUS! Da mihi verum zelum & spiritum Pastoris. Eheu! & hic miser opilio quot non damnabit Pastores ani-marum & Superiores? *Renn. Franc.*

Prælatus infirmitati alienæ debet compati.

104. An putatis DEO vos gratificari, dum verberatis, malè tractatis miseram oviculam, quam vestræ curæ DEUS commisit, quam per sylvas, montes, aberrantem quæsivit, inventam propriis humeris imposuit, gaudiô incomparabilî ad ovile reportavit, totum Paradisum invitavit, ut secum lætaretur ob illam errabundam oviculam recuperatam? alius Magdalenam tot sceleribûs gravatam videns, vivam devorâsset: sed Christus maluit vel eam suo cordi, vel se ipsum illius cordi inviscerare; nec ejus egit judicem, sed advocatum, & ùt inquit S. Bernardus, Visceralis affectus inviscerat sibi peccatricem affectu cordiali, reponit in viscera suæ infinitæ misericordiæ. *Idem Ibid.*

105. Valde facilè est imperare, objurgare, vociferari, velle subditos habere sinè replica, sinè contradictione obedientes, & mox ùt aliquis delinquit in eum ejectare zelum, fel, iram, & agere imperatorem. Hæc omnia addiscuntur sinè Magistro, & spatiô octo dierum quisque hoc facere potest. Verum

rùm ad hoc, ut quis corde Apostolico supportet aliorum defectus, ut reprimat suam iram, & sopiat primas ebullitiones sangvinis, quas naturaliter cor in quibusdam pravis incursibus excitat & accendit; ut quis silenter & placitè imperet, & ignem videat extinctum, priusquam delinquentem puniat, ad hoc exigitur virtus virilis, cor generosum, alienum ab omni incommodo, & quasi amore proprio evacuatum. *Rennat. Franc. Id. C. 1. N. 25.*

106. Postquam obligationi tuæ satisfecisti, committe te Providentiæ Divinæ, nam hæc, reliqua faciet. Nec est, quòd tua impatientia illi præfigat tempus, tu velles eum, qui deliquit, statim corrigi, hic zelus foret bonus, nisi esset indiscretus. Quòd si enim DEUS non velit, ut modò emendetur, ipseque nôrit momenta, quibûs disposuit, ut hoc fieret; an non possis habere parum patientiæ, ut omnia fiant svaviter, & majori fructu, quàm si fierent statim & præcipitanter? non potest credi, quanti æstiment Sancti hanc dulcem longanimitatem. *Rennat: Franc: Id: C. 2.*

Exemplum patientiæ in Prælato. S. Franciſcus Saleſius.

107. An vultis ſcire, qualiter rexerit (: Franciſcus de Sales:) quædam capita indomita? en arcanum. Dum quadam die, quidam nobilis irâ percitus juxta ædes ejus ſtrepitus edidiſſet intolerabiles, ac horrendos ulutatus canum, hinnituſque equorum à nonnullis famulis inſolentibus edi curâſſet, ac ad Epiſcopi cubile accurriſſet, ac mille convitia evomuiſſet, verba indigniſſima totius mundi effutiviſſet, bonus Prælatus, oculô totô ſvavî ac benignô notavit illum furioſum, nihilque ei dixit. Nobilis ſe cõtemptum eſſe exiſtimans, rabiem auxit, Sanctus verò ſilentium & modeſtiam. Tandem dum totus perculſùs ad ſe rediret, quidam honoratus Vir ſic eum affatus eſt: Reverendiſſime Domine! quomodo ſufferre poſſis hunc inſolentem, & lingvam comprimere in occaſione tam indigna? Audi Chriſtiane, inquiebat Sanctus Prælatus: Ego cum lingva mea pactum inivi inviolabile & indiſſolubile, quamdiu cor meum eſt inflammatum, & alteratum nec lingva muſſitare debet, ſedatâ autem irâ, lingva dicet, quod volet. Et quomodo meliùs, quàm ſilentiô hũc

miſe-

miserum docere possem modum benè loquendi, quomodo meliùs bilem sopiet, quàm videndo meam taciturnitatem. *Rennat. Franc.*

Zelus Prælati pro salute subditorum.

108. Si stillantem in Cruce Domini sangvinem collegissem, essetque repositus penes me in vase vitreo, quod & portari sæpiùs oporteret, quid animi habiturus essem in discrimine tanto? & certè id servandum accepi, pro quo mercator non insipiens (:ipsa utique sapientia:) sangvinem illum dedit. Sed & habeo thesaurum istum in vasis fictilibus, & quibus multò plura, quàm vitreis imminere pericula videantur. Accedit sanè ad sollicitudinis cumulum & pondus timoris, quòd cum & meam & proximi conscientiam servare necesse sit, neutra mihi satis est nota, utraque abyssus est inscrutabilis, utraque mihi nox est, & nihilominus exigitur à me utriusque custodia & clamatur: Custos quid de nocte, custos quid de nocte. Non est mihi dicere cum Cain. Numquid Custos Fratris mei sum ego? Sed & fateri humiliter cum Propheta, quia, nisì Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. In eo tamen excusabilis ego videor, si, ùt prædixi, debi-

debitam exhibeo custodiam, pariter & disciplinam. *S. Bernard: Serm: 3. de Advent:*

109. Sciatque Abbas culpæ Pastoris incumbere, quidquid in ovibus Paterfamilias utilitatis minùs potuerit invenire. Tantum iterum liber erit, si inquieto, vel inobedienti gregi Pastoris fuerit omnis diligentia attributa, & morbidis earum actibus universa fuerit cura exhibita. Pastor earum in Judicio Domini absolutus dicat cum Propheta, Domino: Justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam & salutare tuum dixi: ipsi autem contemnentes spreverunt me. Et tunc demum inobedientibus curæ suæ ovibus pæna sit prævalens ipsa mors. *S. P. N. Benedict: Regul: suæ C. 2.*

110. Considera inter alias virtutes Moysis fuisse admirabilem zelum pro salute Filiorum Israel sibi commissorum. Nam propterea, quæ de illo edidit specimina urgendo sæpiùs etiam cum vitæ suæ periculo Regem Pharaonem, ut illos sineret abire ad sacrificandum DEO in deserto, ut hoc medio liberarentur à servitute hujus tyranni & ministrorum ejus; insuper per tot annorum spatium, quibûs illos in suo tam longo & molesto itinere comitatus est, ipsorum causâ, quin & ab illis ipsis infinitas sustinu-

it con-

it contradictiones, labores, injurias, atque molestias, ut illos in possessionem terræ promissæ posset inducere. Denique postponebat magnificas promissiones sibi à DEO factas saluti eorum, quibus præpositus erat, etsi rebellium & sceleratorum, & quod plus est, maluit deleri de libro vitæ, quàm eos videre in suis oculis perire. En zeli ideam! quàm Superiores habere debeant pro salute Religiosorum suorum se incommodando, & liberè exponendo periculis, ut procurent, quæ ipsis conveniunt, nec unquam deserendo, non obstantibûs eorum vitiîs, & importunitatibûs; nec animarum eorum saluti quicquam præferendo. Est ne tuus zelus huic similis? cui te hactenus exposuisti pro salute tuorum inferiorum? an non potiùs quæsivisti occasiones & media te separandi ab iis, qui tuam patientiam exercebant? unô verbô vellesne esse anathema pro Fratribus tuis, ùt S. Paulus? Examina te benè circa hoc, & forsitan in Fide fateberis zelum tuum in actionibus tuis non apparere ferventem. *Ioach: le Cont. Diop: Die 8. Medit: 1.*

III. Penetrâstine aliquando obligationem tuam, quâ teneris respondere & satisfacere in rigore Divinæ justitiæ pro jactura animarum, quæ, tuâ culpâ aut negligentiâ sub tuo regimine perierunt? quam caute-

cautelam, quam curam, quem conatum adhibes, ut prævertas hanc tam tremendam infelicitatem, atque impedias ne pereant? contremiſcisne, cùm vides aliquem Religioſorum tuorum tentatum, & in periculo offendendi DEUM? facisne omnia, quæ poteſt facere fidejuſſor, ut avertat interitum illius, pro quo cautionem præſtitit. Nulla tibi venit cogitatio aliquas forſitan animas eſſe in inferno, quæ, tuâ negligentiâ eò depulſæ ſunt, & quia illas non adjuviſti, viſitâſti, ſuccuriſti, conſolatus fuiſti in neceſſitatibus illorum? vel quia eas non corripuiſti pro ſuis defectibus & diſſolutionibus, à quibus paulatim in gravia peccata ruerent, vel ſi corripuiſti, id factum fuit cum iracundia & indignatione, diſguſtu & contemptu, ex quibus illæ quoque in averſionem, ex averſione in deſperationem, ex deſperatione in abyſſum perditionis corruerunt? non videris tibi eas audire clamantes, contra ſe vindictam? ſi hoc, haberesne animum ridendi, cùm anima tua ſit obligata ſolvere jacturam hanc irreparabilem? Et licèt hoc non eſſet, nonne deberes ſuper omnia metuere ne id eveniat? ſentisne ardens deſiderium & Sanctum impulſum pro ſpirituali progreſſu omnium Religioſorum tuorum? Conſidera ſingulos eorum in particulari, & perſvade tibi, quòd DEUS breviter ſit te examinaturus, quid feceris, ut eos ad perfectionem perdu-

perduceres, agendum! quo in ſtatu ſunt illi? quid facis, & quid dicis cuilibet, & pro quolibet eorum, ut eos adjuves in emendando ſuos defectus, & malas conſvetudines, & progrediendo in virtute? ſi in hoc examine deprehendis, quòd ſatìs frequenter ſinas duos, vel tres menſes elabi, quin eos in particulari viſites, & ſcias quomodo valeant, vel ſe gerant in ſuis exercitiis, quin verbulum pro conſolatione eorum dicas, putaſne DEUM propterea nullam à te rationem petiturum? Si conſtat, te plus habuiſſe ſollicitudinis pro commoditatibus, & negotiis temporalibus, quàm pro animarum bono, quid DEO reſpondebis? audebisne aperire os, ut juſtifices & excuſes tuas exorbitantias, & inordinatas affectiones? putasne te liberatum iri, ſi coram DEO alleges, tuos Religioſos non commiſiſſe peccata gravia, ſi non profecerunt, ſicuti potuiſſent mediante tua cooperatione & diligentia. *Idem Ibid. Die 10.*

Qua ratione defectus ſubditorum curandi.

112. Fortè propterea DEUS Hieremiæ explicavit officium, quod illi injungebat quatuor illìs verbìs,

ut evelleret, destrueret, disperderet ac dissiparet. Ut intelligeret debere ipsum per gradus progredi in evellendis vitiis, in ordine autem rem aggrediendi magnâ opus est prudentiâ. Nam si ægrotus & miles, sit debilis, timidus, ac tepidus, expedit curationem inchoare à vitiis facilioribus, ut primum certamen sit contra hostes debiliores; nam victoria ab eis reportata, animabit illum ad certamen cum robustioribus ineundum. Si autem pænitens sit magnô & fervẽtî animô; præstat incipere, & primùm aggredi vitium prædominans, quod est quasi cæterorum radix, & à quo magìs ille accipit detrimentum, nam eo devicto, reliqua succumbent. Eum in modum, quo, amputato capite Goliath, & Ducis Holofernis, fugerunt Philistæi & Assyrii, victos se reputantes. Et hoc est caput serpentis conterere, in quo totam suã vim & fortitudinem ille repositam habet. Sed quoniam, draco, septem capita habet, vitia scilicet capitalia, quæ reliquorum sunt capita, observet prudens Rector, quodnam illorum potissimùm capitis vices obeat. In quibusdam enim prædominatur gula, in aliis ira, in aliis avaritia, aut superbia, in illudque, quod tale deprehenderit, omne suum studium & industriam dirigat. Quod de vitiiis diximus, est etiam de remediis adhibendis intelligendum, non enim omnia simul, sed unum post alterum, & sen.

sim

ſim applicanda ſunt. Ordinariè autem à facilioribus & ſvavioribus inchoandũ, ſicut medici, qui ſic rupos præmittunt diſponentes ad vehementiorem purgationem. Nam ordinariè, non eſſet prudentiæ, deditũ vitio gulæ, & aſſvetum multa, ac delicatoria comedere, velle ſtatim quaſi uno ictu curare ſeverîs jejuniîs in pane & aqua, ſed paulatim aliquid eſt adimendum in quantitate & qualitate ciborum, adhibita mortificatione in eo, quod minus eſt, ut inde ad majora progrediatur; nisì fortè aliquis ita eſſet fervens, ut vehementi DEI impulſu in eo gradu abſtinentiam auſpicetur, in quo alii ſiſtunt. *Ludov. de Pont. T. 5 c. 12.*

113. Aliter admonendi ſunt protervi, atque aliter puſillanimes. Illi enim dum valdè de ſe præſumunt exprobrando cæteros dedignantur. Iſti autem dum nimis infirmitatis ſuæ ſunt conſcii, plerumque in deſperationem cadunt. Illi ſingulariter ſumma æſtimat cuncta, quæ agunt. Iſti vehementer deſpecta eſſe, quæ faciunt, & idcirco in deſperatione frãguntur. Subtiliter itaque ab arguente diſcutienda ſunt opera protervorum, ut in quo ſibi placent, oſtendantur, quia DEO diſplicent. Tunc enim protervos meliùs corrigimus, eùm ea, quæ benè geſſiſſe ſe credant, malè acta monſtramus, ut unde ad-

epta gloria creditur, inde utiliùs ſubſequatur confuſio. Nonnunquam verò cùm ſe vitium proterviæ minimè perpetrare cognoſcunt, compendioſiùs ad correctionem veniunt, ſi alterius culpæ manifeſtioris ex latere requiſitæ improperio confunduntur, ut ex eo, quod defendere nequeunt, cognoſcant ſe tenere improbè, quod defendunt. Unde cùm protervè Paulus Corinthios adverſum ſe videret inflatos, ut alius Pauli, alius Apollo, alius Cæphæ, alius Chriſti eſſe diceretur, incæſtûs culpam in medium deduxit quæ apud eos, & perpetrata fuerat, & incorrecta remanebat, dicens: auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita, ut Uxorem quis Patris habeat. Et vos inflati eſtis, & non magìs luctum habuiſtis, ut tolleretur de medio veſtrûm, qui hoc opus fecit: acſi apertè dicat, quod juxta vos per proterviam hujus vel illius dicitis, qui per diſſolutionem negligentiæ nullius vos eſſe monſtratis. *S. Greg. Mag: Reg: Paſt. P. III. C. 8.*

Prælatus continuò ſe examinet, quomodo officium ſuum adminiſtret?

114. Examina te ex intimo corde, an vero hactenus timore, ne unam ex animabus tibi in depoſitum

ſitum datis, perderes, tactus fueris, quam in particulari curam in iis cuſtodiendis adhibeas, qua præcautione & vigilantia utaris, ne inimicis ſuis exponantur & ut ab iſtorum inſidiis defendantur. Reflectere ſupra præteritum, & vide, quid earum aliquibus, tuâ culpâ, acciderit. Secundò, quando aliquis Religioſorum tuorum tentatus fuerit de ſua vocatione, vel dejectus, affectus tædio, turbatus, afflictus, vel quacunque occaſione offenſus: quam adhibuiſti ſollicitudinem, ut eum liberares, erigeres, animares, tranquillares, conſolareris, & lucrareris, ne in turbationem, vel extremitatem aliquam prolaberetur? Ah quid tibi ſe obſervandum offert? ſi invenis, te propterea, quòd ejuſmodi infirmus te non convenerit, illum dereliquiſſe, certus eſto, dæmones neutiquam omiſſuros, quin te de hoc in Judicio accuſent. Tertiò revocasne quotidie in memoriam, arctam vigilandi obligationem, quam Paſtoris officium tibi imponit? attendisne, num omnes Religioſi tui ſunt in bona via? hoc eſt, an ſequantur bene vivendi principia? quando ad communia exercitia conveniunt, an abſentes notas? indagasne poſtea cauſam, cur non cum cæteris adfuerint? Viſitasne cellas tempore lectionis ſpiritualis, orationis, ſilentii, examinis. &c. ut quilibet in tali Ordine cogatur adeſſe? ſi id negligis, nec alius tui loco id facit,

cit, citò irrepent abusus & negligentiæ, quas tu quidem non noscis, tibi tamen imputabuntur. Quartò, considerasne subinde attentè odium & furorem, quibus maligni spiritus explorant, persequuntur, & aggrediuntur, data occasione, animas tibi commissas? Num cogitatio hæc te efficaciter excitat ad vigilãdum, tuumque zelum exerendum, ut perniciosa cõsilia, atque conatus istorum hostium humani generis evertas, conservesque Religiosum in sua securitate? Explora, quos de hoc sensus habeas? Quintò, habesne tantum sollicitudinis pro bono & profectu spirituali inferiorum tuorum, quantum habere solet Magister & Præceptor pro discipulorum suorum profectu, eorum præsertim, qui ipsi singulariter sunt commendati? quantum laborem impendis in illis instruendis, dirigendis, excolendis, & pro eorum conditione perficiendis? accomodasne te benignè illorum genio, capacitati, ac naturali dispositioni? qua industria uteris, ut eos ad bené agendũ animes, ut ament solitudinem, aliaque quæ institutum eorum concernunt. Expende nonnihil tecum, quantum erga unumquemque profeceris à tempore anni unius, mensis &c. Sextò, cùm nihil sit nocivius & periculosius ovibus, quàm Pastoris absentia, neque discipulis, quàm absentia Magistri, sub qua facilè in vitam licentiosam degenerant: inquire

an non

an non tu quandoque sinè gravi necessitate à tua Communitate absis. Antequam egrediaris tuum Monasterium, ut iter, visitationem, vel simile quid aggrediaris, examinasne priùs coram DEO ejus motiva atque necessitatem? commendasne gregem tuum, priusquam ab eis discedas? Non times ne fortè in tua absentia aliqua inordinatio aut dissolutio oriatur? nunquam te naturalis inclinatio aut delectatio moverunt ad ejusmodi exitum, & discessum à tuo ovili, quin te reflecteres ad periculum, cui illud exposuisti? Decerne firmiter, oves tuas nunquam deinceps deserere, sinè urgenti & manifesta necessitate. *Idem Diopt: Polit: Relig: die 3.*

115. Inquire num habeas verum zelum pro salute animarum tibi commissarum, collineantne eo ordine tuæ cogitationes? sentisne in intimo cordis tui vivum timorem, ne aliquem è filiis tuis perdas? quando advertis aliquos deviare, fieri dissolutos, & vivere absque affectu ad res spirituales, tangitne hoc intimè cor tuum? exardescitne tunc zelus tuus, & satagit his exorbitantiis adhibere remedium? quem laborem, quam curam, quæ media, quas preces, quas lacrymas, quas pænitentias faciat te impendere, ut eos à periculo eruas, & statuas in securitate salutis? Nonne te palpes hìc: imò confitere coram

ram Domino nostro zelum tuum valde ab illo zelo distare. suscipisne liberè & hilariter proprias incommoditates, ut adjuves & succurras iisdem animabus in suæ salutis negotio? nullam habes aversionem ab iis, qui tibi graves sunt & molesti? habesne tantum animi & zeli, ut si occasio se offerret, pro illis vitam opponeres? Dic veritatem. Ut autem de hoc bonum judicium ferre possis, examina te singillatim, an libenter derelinquas tuam quietem, tuum studium, tuam recreationem, aliaque similia, ut converseris, instruas, & consoleris Religiosos tuos, quando te conveniunt, sive ut eos ipse visites, atque prævenias tuâ benevolentiâ, si ipsimet ad te accedere reformident? si hoc non facis nisì rarò, & invitus, multò minùs, plura atque majora facies. Esne zelosus pro spirituali profectu tuorum inferiorum, sæpiùsne & magìs seriò recordaris illorum, quàm omnium negotiorum temporalium? quid facis, ut illud procures? vigilasne continuô super illos, ut videas, an non se subtrahant exercitiis, tempus inutiliter terant confabulationibûs, vel curiositatibûs, te fugiant, ut in privatas amicitias coëant, vel conspirent. An non laborent aliqua difficultate corporis vel animæ, qua reddantur morosi & tardi in exequendo suo officio, & sic de cæteris? Excitasne tepidos? animasne ferventes? mortificas

tificas ne vágos? advertisne denique, quòd zelus tuus affligatur, ſimulque patiatur in eorum negligentiis & inſenſibilitatibus? adjuvasne efficaciter & ſollicitè bona deſideria illorum, qui conantur in virtute proficere? quales illis occaſiones offers. Cavesne diligenter ne intepeſcant, exceſſuſque devitent? quantum laboras, ut omnes alios in eandem viam pertrahas, curasne ut ſaltem in anno ſemel ſinguli faciant 10. dierum exercitia? in quibus illos eo tempore adjuvas, declarasne illis latè & ſincerè imperfectiones, quibus remedium adhibere debent? Eſne ſollicitus in aſſignandis lectionibus & meditationibus, eorum neceſſitati congruentibus, ac ſæpè inquirendo in fructum, quem inde hauriunt? denique ſentisne tantundem fervorem in promovendo illorum ſpirituali profectu, quàm in bono ſucceſſu alicujus, quod cordi habeas, negotio temporali? Quomodo in tuo Monaſterio ſe habet obſervantia Regularis? habesne zelum pro illa conſervanda & promovenda? tangitne cor tuum, ſi ad exercitia debito tempore ſignum non datur? ſi ad illa non promptè convenitur? ſi Officium Divinum, ùt decet, non peragitur? ſi Religioſi aliqui Regulas & conſtitutiones facilè tranſgrediuntur? ſi non exactè obediunt? quid facis hoc caſu? evigilantne zelus tuus, ut tales defectus ſinè cunctatione reprehendas & corrigas?

rigas? an non illos ſubinde & vano reſpectu vel animi timiditate diſſimulas? vel quod pejus eſt fugiunt tuum animum, atque memoriam, ex defectu affectionis & reflexionis ſupra omnia hæc, & ex abſentia veri zeli pro Gloria DEI & bono tuæ Religionis? legiſne frequenter & attentè tuas Regulas & Conſtitutiones, ut notare poſſis tuos defectus, qui committi poſſunt contra contenta in illis? esne ſollicitus ne, illæ, te inſcio vel abſente, negligantur? Dasne libertatem alicui Religioſo ſapienti & zeloſo, ut te ipſum moneat, ſi in ejuſmodi defectus exceſſuſque labaris? auſcultasne cum humilitate & ſpiritu ſubmiſſionis id, quod tibi dicit, atque proponit? confersne, tuo tempore, ſicut præſcriptum tibi eſt, cum tuis Senioribus, ut exactam totius obſervantiæ Regularis notitiam capias? Quis inde fructus reſultat? oſtendisne, quòd etiam de minimis cures, promptè obviando etiam minoribus deordinationibus. *Iohan*: *le Cont.*

Duriſſimum judicium iis, qui præſũt.

116. Judicium duriſſimum fiet ijs, qui præſunt. Venient quippe venient dies, quando Dominus JESUS vivorum Judex & mortuorum à ſingulis ſuorum

rum inquiret minutissimam rationem donorum. Unusquisque namque pro se redditurus est rationem. Prælati verò pro se ipsis, & pro commissis responderé cogentur. Si autem pro se, vix reperitur, qui satisfacere valeat? quomodo qui præsunt, pro se, & multis? Stabunt omnes, præcipuè tamen animarum duces ante Christi Tribunal, & ibi de operibus, de omissionibus, de verbis, de cogitationibus, de intentionibus ac de affectibus, fiet universalis interrogatio. A Pastoribus autem exigetur, si doctrina, exemplis, sollicitudine, lucra quæsierunt animarum. Nam à DEO ideò Præpositi sunt, ut subjectorum insistant profectibus; & emendatiores reddant Christo. Propterea meritò pænas lugent pro negligentibus & pro Subditorum delictis, si dissimulâsse, si tacuisse, si non clamâsse, aut non orâsse fuerint deprehensi, si quã verò ovicula ex ipsorum erraverit, perieritque incuria, tunc ipsius sangvis de eorum extorquetur manu. Proinde debent sinè intervallo admonere verbîs, rêdarguere increpationibûs, ac terrere minîs, quatenus omnes sub loris Divini timoris coërceant. Universis quoque, ut sint speculum sanctitatis, virtutis exemplum, & morum forma, necesse est. Nec tamen desistere debent, quin Domino assistant in Oratione & lacrymis, ac devotis supplicationibûs DEI exorent clementiam, ut ipsis

 sapien-

ſapientiam tribuat ac prudentiam ad benè gubernãdum, Subditis autem gratiam obediendi, & tolerantiam perſeverandi. Hoc totum agant, quatenus, quod deeſt eorum miniſterio, Divinô conferatur auxiliô. Nec exaudiri dubitent; nam exorabiles prorſus ſunt præſidentium preces, illorum maximè, qui DEI gloriam, & ſibi commiſſorum utilitates, quærunt. *Laurent: Juſtin. de Diſcip. C. 9.*

Mercenarius quis?

117. Non Paſtor, ſed Mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oves Dominicas, ſed ad tẽporales mercedes paſcit: Mercenarius quippe eſt, qui locum quidem Paſtoris tenet, ſed lucra animarum non quærit, terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet, temporalibûs lucrîs paſcitur, impenſa ſibi ab hominibus reverentia lætatur. Iſtæ ſũt etenim mercedes Mercenarii, ut pro eo ipſo, quòd in regimine laborat, hìc, quod quærit, inveniat, & ab hæreditate gregis in poſterum alienus exiſtat. Utrum vero Paſtor ſit, àn Mercenarius, cognoſci veraciter non poteſt, ſi occaſio neceſſitatis deeſt. Tranquillitatis enim tempore plerumque ad gregis cuſtodiam ſicut verus Paſtor, ſic etiam Mercenarius ſtat,

ſed

ſed lupus veniens indicat, quo quiſque animo ſuper gregis cuſtodiam ſtabat. Lupus enim ſuper oves venit, cùm quilibet injuſtus & raptor fideles quoque atque humiles opprimit, ſed is, qui Paſtor eſſe videbatur, & non erat, relinquit oves, & fugit. Quia dum ſibi ab eo periculum metuit, reſiſtere ejus injuſtitiæ non præſumit, fugit autem non mutando locum, ſed ſubtrahendo ſolatium, fugit, quia ſe ſub ſilentio abſcondit. *S. Greg. Lib. 1. hom. 14.*

Paſtores mali culpâ ſuâ, Boni verò DEI gratiâ.

218. Mali namque Paſtores, quod à nobis abſit, noſtrâ malitiâ ſumus: Boni verò quod ab illo nobis adſit, nisì ejus gratiâ, eſſe non poſſumus. Unde & vos Fratres mei præcipientes rogamus, ne in vacuum gratiam DEI recìpiatis. Facite noſtrum miniſterium fructuoſum. DEI agricultura eſtis, extrinſecus accipite Plantatorem, atque rigatorem, intrinſecus verò incrementi datorem. Corripiendi ſunt inquieti, puſillanimes conſolandi, infirmi ſuſcipiendi, contradicentes redarguendi, inſidiantes cavendi, imperiti docendi, deſidioſi excitandi, contentioſi cohiben-

hibendi, superbientes reprimendi, litigantes pacandi, inopes adjuvandi, oppressi liberandi, boni approbandi, mali tolerandi, omnes amandi. In hac tanta ac multiplici variaque rerum diversarum actione adjuvate nos, & orando, & obtemperando, ut nos vobis non tam præesse, quàm prodesse delectet. *S. Aug. Serm. 340. Indic. Ordin.*

Qui Prælatus sit bonus.

119. Bonus Superior non est ille, qui habet Subditos, qui nunquam delinquunt, nam Sol nunquam talem conspexit, nec talis dari potest. Ille est bonus Superior, cui benè perspecta est humana fragilitas, qui supportando defectus corrigit, qui non cessat balsamo perfundere plagas, donec æger perfectè curetur, & ita comparatus sit, ut malit mori, quàm tam bonum Patrem offendere, & cor tanta charitate plenum contristare. Et dato, quòd infirmus non sanetur, & suæ obligationi non satisfaciat, quale quæso solatium non sit bono Superiori? Si possit dicere: feci, quod Christus mandavit: feci, quod ille fecit, bonum Patrem me exhibui, quamvis meus filius velit esse filius prodigus, & nolit subesse meæ tutelæ, meæ disciplinæ, sed terminos obser-

vantiæ

vantiæ tranſilire. Idcirco tamen ego non omittam ea, quæ facere debeo, expectemus diem Domini, horam ejus præfixam, & dum minus putabimus, bonitas ejus, quod oportet, faciet. *Renn. Franc.*

Prælatus ob ſubditorum defectus indignatione moveri non debet.

120. Ob Subditorum exceſſus ad iracundiam non moveatur, cogitet, quòd in hoc mundo velut in Xenodochio vivat, in quo qui degit, aſſvetus eſſe debet, videre defectus, & cum ægrotis ſinè nauſea agere. Poſt deplorandum illum naturæ humanæ lapſum aliter eſſe non poteſt, quàm quòd innumeri in humanam converſationem & vitam irrepant defectus. Superior nec à ſuis expectare, nec exigere prudenter poteſt, ut omnia ad amuſſim, ſinè ullo errore, quàm accuratiſſimè faciant. Parens volens filium ſuum inſtruere in progreſſu, cum filio tardiùs progrediente, tardè progreditur, manuque ducit: non feſtino gradu properans illum poſt ſe relīquit, ſed expectans dat moram: ſequi aliàs nullo modo poſſet. Indignatio & impatientia ob defectus ſubditorum concepta, facit, quòd Superior plu-

res

res committat defectus, quàm Subditus: Superior enim impatiens, facilè à Subdito concipit aversionem, minoris illum æstimat, contemptui habet, nec magnam illius curam habet. Contra impatientiam ergo, ùt multorum malorum causam, magnô animô certandum, & dum Subditorum defectus occurrunt, occasionem ex eis sumat Superior, se in patientia, mansvetudine, & amore exercendi, omnē subdito affabilitatem & humanitatem exhibendo. *Joan. Bapt. Lib. 3. P. 1. C. 10. Section. 19.*

121. Hoc onus animarum est, & infirmorum; nam quæ sanæ sunt, portari non indigent; ac per hoc nec onus sunt. Quoscunque igitur de tuis inveneris tristes, pusillanimes, murmurosos, ipsorum tè Patrem, ipsorum noveris esse Abbatem. Consolando, exhortando, increpando, agis opus tuum, portas onus tuum, & portando sanas, quod sanando portas. Si quis verò ita sanus est, ut magìs juvet te, quàm juvetur à te, hujus te non Patrem, sed parem, comitem, non Abbatem, agnoscas. Quid igitur causaris te aliquorum, qui tecum sunt, magìs gravari consortiô, quàm frui solatio? cùm solus omnium omnibus datus sis solatium, tanquam omnibus sanior, & à nemine omnium indigeas confortari? Denique in quantum gravaris, in tantum lucraris,

ris, & in quantum juvaris, in tantum tibi tua præmia minuis; Elige ergo, quos eligas, an qui gravando juvant, an qui juvando gravant? Hi tibi promeritores; illi fraudatores meritorum exiſtunt. Nā qui Socii laboris, procul dubio & mercedis participes erunt. Sciens ergo te miſſum juvare, non juvari; illius te cognoſce Vicarium, qui venit miniſtrare, non miniſtrari. *S. Bernard. Epiſt.* 37. *ad Rainaldum.*

122. Sufficiebat tibi apud Cluniacenſes cuſtodire innocentiam, porro apud Rhotomagenſes opus eſt patientiâ, nec ſolum patientem eſſe, qui nollet vinci à malo; ſed & pacificum, qui vincat in bono malum: Alterum, ut malos portes, alterum, ut & quos ſuſtines, ſanes. In patientia tua poſſidebis animam tuam, ſed ſis etiam pacificus, ut & commiſſos tibi poſſideas. Quæ tanta gloria, quàm dicere poſſe: cum his qui oderant pacem, eram pacificus. Eſto ergo patiens; quia es cum malis, eſto & pacificus, quia præes malis. *Idem ad Gilbertum Epiſt.* 25.

Mali etiam Subditi ſunt tolerandi.

123. Nec curandum eſt Prælatis, aut animus deſpondendus, ſi DEUS quandoque permittat, ut ſub-

R inde

inde bonus Abbas habeat malos Religiosos, malus verò, bonos, velut quidam Reginoldus Abbas Fusniacensis olim apud S. Bernardum Abbatem pluribûs questus est, asserendo, si quilibet satisfaceret suæ obligationi, se nullam habere difficultatem regendi &c. Verùm S. Abbas respondit: Id inscrutabilî Judiciô DEI fieri, atque ad maximam nostrâm, ac præcipuè Prælatorum probam. Cur enim aurum nascitur inter venena? unio inter undas? rosa inter spinas? Unde sic ratiotinatur: Cur DEUS dedit Adamo, Cain & Abel. Abrahamo, Isaac & Ismaël, Isaaco, Jacob & Ezav, Joseph, sceleratos Fratres, Jacob, Salomonem, & Absalon Davidi, S. Petrum & Judam, Christo JESU, Sanctum Michaëlem & Luciferum ipsi DEO Patri? Quid quæso DEUS in hac dispositione prætendit? Nimirum ad propositum servit dictum Sancti Augustini & S. Francisci. *Boni sinè malis boni esse non possunt* ita, ut deficientibûs malîs boni esse nequeant, adeò bonis mali commisceri debent. *Idem qui supra.*

Prælatis discoli subditi prosunt.

124 Sanctus Bernardus malos adeò necessarios èsse inquit, ut, si in aliqua æde non degeret aliquis

Mona-

Monachus inquietus dissolutus &c. talis ob magnū bonum (: quod ex ejusmodi perverso oritur dum sapienter regitur) quæri, & monetâ aureâ solvi debeat. Talis enim servit velut lima aurifabro, ut scoriæ & excrementa avellantur & rescindantur, servit velut malleus, vel tributum, quo præmitur, tunditur adamas, ut nitidior fiat, sinè quo esset deformis inconditus, ac nullius æstimationis. Dicere volo, perversum more, conducere ad purificationem proborum, sicut DEUS Jebusæos excitavit, ut Israëlitas ad terram promissionis tendentes, jugiter tentarent, & incessanter vexarent. Ratio igitur cur DEUS sæpe bonis Abbatibus aliisq; Superioribus subjiciat perversos subditos, & discolis Abbatibus (Superioribus) subditos probos? S. Bernardus. S. Thomas. S. Bonaventura varias assignant causas ex quibus hæc unica sufficiat; quia quamvis boni Religiosi sint gratiores, attamen discoli, sunt utiliores, magisque prosunt Abbati, Superioribus, aliisque Monachis Religiosis: Nam hi discolæ sunt tineæ, quæ arrodendo destruunt pannum. Sunt limæ, quæ poliunt cor, sunt leones, qui custodiunt Danielem, sunt Semej, qui maledicunt Davidi, ut à DEO majoribûs benedictionibûs repleantur. Itaque Religiosi tales discoli præter dicta, sequentia adhuc Prælatis, & Superioribus præstant commoda, quæ ipsis in hac terra, ingens meritum,

demum in Cælo maximum præmium, suppeditabũt. Per hos enim acquirunt *1mò* humilitatem valde solidam *2dò* Charitatem valde puram, *3tiò* Magnanimitatem Regiam. *4tò* Patientiam invictam *5tò* Clarissimam cognitionem suorum defectuum. *6tò* Purissimum & sublimissimum meritum. *7mò* Intentionẽ valde rectam. *8vò* Virtutem ab omni concupiscentia liberam, & quæ nullum præmium expectat. *9nò* Mansvetudinem JESU Christi. *10mò* Conformitatem aptissimam cum voluntate DEI. *11mò* Modum, nil aliud quærendi, nisì solum DEUM. *12mò* Eum æquè reperiendi in bonis, quàm malis, imò faciliùs in malis, quàm bonis. *13tiò* Acquirendi dominium suarum passionum. *14tò* Evadendi in Virum Apostolicum. *15tò* Cor secundum Cor DEI, quod libenter cooperatur cum ejus dispositionibus, & quidem nõ rarò cum jactura propriarum satisfactionum. *16tò* tandem, supportatio levium defectuum eorum, qui graviores in Superioribus sustinent, est medium, quo quis in Cælo magnus efficitur Sanctus. Hæc enim est Regula perfectionis: Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. *Idem qui supra.*

125. Bonis, quàm diu sunt in hoc statu merendi, expedit aliquos malos secum habere, qui eis sint majoris occasio meriti, quibus compatiuntur in ma-

lis

lis ſuis, contra quos zelus eorum inardeſcat, quos corrigere laborant, quibus ſimiles fieri pertimeſcant, qui eis ſunt tentationis materia, à quibus etiam perſecutiones ſuſtineant, & ex quorum conſideratione humilientur confuſi, quia tales non ſunt admoneātur gratiarum actionis ei, qui cuſtodit eos, ne tales efficiantur. Si autem deeſſent bonis prædictarum virtutum occaſiones, merira ipſorum tantò fierent minora, dicente Paulo. Quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet. Nec tamen diligendi ſunt mali, ſeu fovendi, ſed tolerandi, maximè quorum occulta ſunt mala, & alios non inficiunt, & eſt ſpes de correctione ipſorum. Ubi verò iſta defecerint, ibi ſinè gravi detrimento ſuſtineri non poſſunt. Et ideo eliminandi ſunt, ne putetur eorum pravitas bonis placere. Interim etiam dum tolerantur, puniendi ſunt ſtimulîs admonitionum, correctionum, confuſionum & caſtigationum. Ungendi etiam fomentîs exhortationum, conſolationum, & orationum, & promiſſionum, ſi fortè convaleſcant de infirmitate, & fortes fiant. Præcludenda eſt eis via peccādi & tentationis aditus obſtruendus, quod etiam bonîs expedit, ne opportunitas mali faciat eos deteriores. *S. Bonaven: de ſex alis C. 3.*

126. Æquum eſt, Prælatum induere hæroïcam patientiam ad diſſimulandas imbecillitates & impatientias ſubditi, nec deſerat Eccleſiam ſibi à DEO commiſſam, etiamſi Sathan ſedem ſuam in ea locet, ipſamque perſequatur. Dominus enim vult, ut eam Prælatus non deſerat, non paveat, nec fugiat officium ob graves ſubditorum mores. Pro talibus enim neceſſarius eſt bonus Superior. Si magiſter virtutū expellit à ſe ignaros & vitioſos: quem docebit? Si medicus fugit ægrotos, cui medebitur? Si dux belli, pugnæ ſe ſubtrahit, quomodo victoriam cum gloria obtinebit? Si mercator negotiationem ex qua ingens lucrum habere poteſt, intermittat, aut deſerat, quomodò locupletabitur? Non recte facis (:dixit S. Bernardus cuidam Abbati cupienti officium deſerere propter ſubditorum repugnantiam:) nam in quantum gravaris, in tantum lucraris, & in quantum juvaris in tantum tibi tua præmia minuis, & quò gravius eſt onus, eò amplius adfert lucrum. Boni Subditi alleviant onus, ſed etiam imminuunt meritum, parum enim habes, quod agas, aut patiaris in eis gubernandis, inſolentes autem Subditi, ùt laborem augent, ita & meritum, & occaſionem tibi præbent evadendi in Virum Sanctum. Ac propterea permiſit Chriſtus Dominus inter ſuos duodecim Apoſtolos eſſe unum Judam, qui ipſum exer-

ceret

ceret, ut ſic exemplo eſſet charitatis, patientiæ, & humilitatis Prælatis ipſis, cùm ea illis evenit ſors, ut malos aliquos habeant ſubditos, quos ſtudeant patienter ac dexterè emollire & bonos reddere. Confortamini inquit DEUS, & non diſſolvantur manus veſtræ, erit enim merces operi veſtro. Manus Prælati (:ait Bonaventura:) ſunt diligentia in agendo, & patientia in tolerando, hæ debent ſemper eſſe elevatæ in bonum Subditorum, & Dominus earum laborem remunerabit. Quod ſi Subditi fuerint ingrati, in eo Prælatus ſuam conſolationem ponat, quòd DEUS obſequii illius non obliviſcetur, & intelligat eùm hanc ingratitudinem permittere, ne ipſe ob reſpectus humanos laboret, ſed propter ipſū DEUM, cùm videat malè ſibi ab hominibus retribui. *Ludov: de Ponte:*

Prælato in tempore malo plebem deſerere nefas.

127. Dolendum eſt, atque deteſtandum, quod noſtris inolevit temporibus. Nam Pontifices & populorum Prælati, ſi quando exigentibûs culpîs plebeam peſtilentiam Dominus immiſerit, ſunt primi

qui

qui ſecedunt de loco, & in redeundo ultimi. Hæcne conſvetudo eſt Paſtorum bonorum? ſapitne aliquid charitatis? prorſus nihil. Nunquid amicus cēſendus eſt verus, qui, cùm opem poteſt impendere, fugit? Divina ultione percutitur populus, & qui DEUM precibûs conciliare debuerant, tergavertunt, devaſtatur plebs, & calamitatibûs plena depaſcitur, & ejus directores, atque Paſtores fugiunt. Nefas hoc eſt, & grande peccatum. --- Dominus Jeſus cùm à turbis Judæorum & militibus teneri debuit, fugitne? an non magìs inquit: ſi ergo me quæritis, ſinite hos abire. Majorem utique de ſuis, quàm de ſe curam exhibuit. Diſcant igitur Paſtores & Prælati, cùm iraſcitur erga populum DEUS non ſe abſentare à plebe, non morientem deſerere turbam, quin potiùs proſternant ſe coram DEO, & gemitibûs ac lachrymîs Divinam placent vindictam, neceſſitatibus etiam ſubveniant morientium, nec animas ſuas pretioſiores minùs, quàm ſe faciant. Animadvertant, ſi Dux exercitûs fugerit, quid acturi ſint hoſtes? vel quanta cæde interficiendæ ſunt oves, ſi neglectîs illîs nil curaverit Paſtor? Meminerint oro, qualem per Prophetam, Dominus, Paſtoribus invectionem faciat, dicens: Nonne greges paſcuntur à Paſtoribus? vos autem lac comedebatis, & lanis operiebamini, gregem autem meum non paſcebatis,

quod

quod infirmum fuit, non consolidâstis, & ægrotum non sanâstis, quod fractum non alligâstis, quod perierat, non quæsivistis, sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia, & dispersæ sunt oves meæ, eò quòd non esset Pastor, & factæ sunt in devorationem omnium bestiarum, propterea Pastores audite Verbum Domini: Vivo ego dicit Dominus DEUS, & pro eo, quòd facti sunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devorationem bestiarum agri, eò quòd non quæsierunt Pastores gregem meum, sed pascebant se ipsos, & greges meos non pascebant: propterea ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare eos faciam, ut ultra non pascant gregem meum, nec pascant Pastores ampliùs semetipsos. Redeant itaque ad cor Pastores, noverint se pro ovibus reddituros rationem, taliterque se habeant, ut Divinum valeant evitare judicium. Dilectionis si quid habent erga Christum, in Subditis exhibeant, dum Illum audiunt Petro dicentem: Si diligis me, pasce oves meas, inquit, quas condidi, quas proprio cruore redemi, quas tibi pascendas reliqui. Veri igitur Pastoris dignitatem amittit, qui earum curam vilipendit. *S. Laurent. Iustin.*

Prælatus non debet animô despondere ob imperfectiones subditorum.

128. Dum Superiores querelis lacesserent imperfectiones suorum subditorum, & nimios relapsus in eosdem defectus, ideoque vellent officio renunciare, eò, quòd defectus corrigere, eosque diutiùs sufferre non possent; Sanctus Vir (:Franciscus Sales:) incipiebat ridere, & amabilissimo rubore suum vultum tingens, dicebat: Sed hem! mea charissima Soror, an tu nullum committas defectum? an nullũ unquam te commissuram putes? quod si aliquem defectum committeres, an velles subitò conjici in carcerem, vel velut incorrigibilis præcipitari ex fenestra? Religio, non est composita ex personis perfectis, sed iis, quæ adspirant & tendunt ad perfectionem. An putes apicem perfectionis octo dierum spatiô posse attingi? an tu hunc apicem attigeris? quãtum temporis insumpsisti? quamdiu in illo manebis? & datô, quòd illum attigeris, viden amabo, an ad illum non subieris ex gratia speciali DEI, & indole naturali, quam DEUS tibi indidit, quæ nullam habet reluctantiam, nec difficultatem in faciendis bonis? an velis cogere DEUM, ut omnibus confe-

rat gratias, quas tibi contulit? an velis totum adigere mundum, ut ejusdem tecum sit ingenii? an nõ consideras molestias, difficultates, quas experiuntur tuæ miseræ Filiæ in domatione validæ naturæ supra modum virtuti rebellis? minima adversitas, minima tentatio superveniens turbabit harmoniam omnium tuarum virtutum, & tota eris alia, quàm modò es, & quid tunc dices, nisì quòd putêris, te præditam multîs virtutibûs, cùm tamen hæ non fuerint aliud, quàm exercitium, quod ortum duxit à bona natura & indole? tunc veniam rogabis, quòd tam exiguam charitatem exercueris, ego, quo ad me, nolo obtinere hanc veniam, & potiùs tunc volo, & satiùs censeo compati infirmis, eosque sensim sanare, quàm eos nimiùm pellere & urgere, & ita charitatem ac patientiam rumpere. *S. Franc: apud eund.*

129. In hoc Prælatus debet ostendere fidelitatem sui cordis, in hoc propriè elucescit, quòd sit verus Filius DEI, verus Abbas, verus Superior. Bene facite iis, qui oderunt vos, ut sitis Filii DEI. Si bene facitis iis, qui vobis malè faciunt, ostendetis vos esse Filios DEI. Reliqua (:inquit S. Ths:) subjacent dicteriis, convitiis, murmurationibus; nam si benè facitis bonis, hoc etiam faciunt Turcæ, & ipsimet barbari, amant illos, à quibus amantur, nã

aliàs essent tygres & leones, & unde scias, quòd dum bene facias bonis, id non proveniat ab inclinatione naturæ, Sympathia, aliquo occulto commodo, ab eorum meritis, vel aliquo respectu humano, ita, ut coram DEO nihil vel parum merearis? Verùm à solo DEO, Qui ùt jubet, venit, ut quis malis bene faciat ideoque meritum est perfectum, securum, expers omnis commodi, omnino purum & integrum. Porro hoc DEUS prætendit, dum tibi subjicit tot maligna & inquieta capita. *Id. Rennat. Francis.*

130. Multi dum moderantur habenas, nec aliud habent, quàm se ipsos, sunt valde probi. Id autem (:ut veritatem dicam:) in multis non est alia virtus, quàm cessatio à vitiis & imperfectionibus. Verùm quod si aliquis sedeat ad clavum, & gemat sub aliquo pondere, debeat regere & supportare alios, tunc prodit, an ejus virtutes solidæ sint: si enim habeat veram charitatem, qua sustineat defectus suorum subditorum; si habeat humilitatem, qua toleret despectus; si habeat prudentiam, qua expectet, ut audiat, quæ fieri debent, ac ita omnia ordinatè & maturè fiant, si reprobet quendam zelum falsum, qui re ipsa nil aliud est, quam impatientia, is solidè virtuosus est. Verbô ex his elucescit num

homo

homo solidas virtutes habeat, vel non, secus, non credam, nec dicam aliquem virtuosum: nempe sæpè video, quòd fictio venditur pro virtute, & video quosdam monitores, qui in omnibus inveniūt, quod culpent. *S. Francis: Sales: apud Rennatum Francis-*

131. Cum omnia quieta & tranquilla sunt, nec quisquam est, qui bellum inferat, nonnullos ad pietatem erudire, cujuslibet hominis est; at cùm diabolus furit, ac dæmones arma induunt, fortî animô stare, atque eos, qui ab illius partibus stant eripere, & cæteros, ne in illius manus incidant, impedire, hoc demum strenui Vîri est, hoc, animi vigilantis, hoc experrectæ mentis, hoc, sexcentîs coronîs ac præmiîs omni sermone præstantioribûs dignum, hoc denique Apostolicum facinus. *S. Ioan. Chrysost. Epist. 125.*

Prælatus maledictîs & murmurationibûs Subditorum moveri non debet.

132. Hoc perfectissimum archetypon quilibet Superior in se exprimat, & si cùm fecerit omnia, quæ à bono Superiore fieri, & desiderari possunt,

nihilo-

nihilominus à Subditis patiatur contradictiones, murmurationes, calumnias &c. in mentem revocet, non esse in mundo Superiorem, contra cujus Regimen tot moveantur quærelæ, quàm contra Regimen ipsiusmet DEI, esto tale sit, ut melius, æquius & sapientius esse non possit. Pauper libenter esset dives. Dives doctus, infirmus sanus &c. Nemo suo contentus est, nemo, qui conditionem suã, si optio daretur, non mutaret. Quemadmodum verò DEUS non attentîs ejusmodi insanîs querelîs & murmurationibûs suô pergit modô orbem regere, & exequi, quod sapienter decrevit: sic & Superior, in suo, ad DEI gloriam & voluntatem, incepto Regimine, se turbari & mutari non sinat, animô non cadat, sed constanter, quod benè cæpit ad finem perducere studeat. *Ioan. Baptista Sajnt. Iur. &c.*

133. Mundus refertus est indiscretîs, vel invidîs adeò, ut quamvis omnibus exactè coneris satisfacere, omnia æqualiter dividas, attamen nunquam contentabis eum, cui sua invidia Zelus, sua passio, ratio. Quò meliùs tua facis, eò acriùs te lacessent invidi, & dicent tuam sapientiam, nil aliud esse, quàm dolum, tuam circumspectionem traducent, ùt nimiam conniventiam, tuum candorem,

velut

velut nimiam ſimplicitatem, tuam devotionem, velut ſimulationem, tuam ſcientiam, velut ignorantiam, tuam eloquentiam, velut garrulitatem & blaterationem. Quomodo ergo pacabis hanc ſyrenem, hanc tygrim invidiæ? quæ omnia convertit in venenum & ſolis calumniîs & criminationibûs victitat. S. Paulus nunquam potuit effugere tyrannidem hujus invidiæ, & invidi eum ſemper inſectati ſunt, eumque perdere ſtuduerunt. Chriſtus JESUS amiſit vitam, eò, quòd invidia Synagogæ ſplendorem virtutum Ejus ſuffere non potuit. Quid facimus, quia hìc homo multa ſigna facit. *Renn. Francis: Id. c. 6.*

134. Qualiter igitur regas, aut quâ manu duces, capita ſuſpicioſa, hypocondrica, phantaſtica? Spiritus nigri & fuliginoſi, qui ſuum miſerum cerebrum obfuſcant, proponunt chymæras & æſtimant Evangelia. Quid quid facis, ſiniſtrè interpretantur, & imponent, quæ nunquam ſomniâſti. Candor ſinceriſſimus tuarum intentionum iis videbitur niger & plenus machinationibûs & molitionibûs. Quod ſi eis gratificeris, te vilipendunt; ſi opinioni tuæ aliquantiſper inſiſtas, averſionem interiorem erga te concipient; ſive eos alloquaris, ſive non, nonniſi cum moleſtia eos devincies. Hi cardui

non

non tanguntur absque eo, quòd pungant. Dic igitur an sit possibile, quòd homo, qui regit multos, quorum aliqui sunt omnino ignei, alii plumbei, alii terrei, quorum aliqui moventur celeritate venti, aliqui pedem à terra non sublevabunt, estò omnes trochleas, quas Artes Mechanicæ invenerunt, adhibeas. Unus dicet, eum esse nimis præcocem & præcipitem, qui omnia vult in momento, qui agenda non considerat: alii eum traducent velut lentum, qui in mille gyros distenditur, qui nullum opus, quantumvis multum sudet, ad finem deducit. Quot Subditos quis habet, tot sunt mundi, quorum quilibet alio differt, & quis inveniat modum sustinendi fluxum & refluxum maris? cursum ventorum? &c. & quod pejus omnibus est, morem gubernandi capita hominum, quæ sunt bructea, seu Gallus campanilis. *Idem ibidem.*

135. Dantur aliqua capita, quæ sunt propriè Antipodes, quæ habent Spiritum contradictionis, & naturaliter se omnibus opponunt. Facias quid quid velis, semper habent aliquid, quod reponant, quamvis faceres miracula, illa traducent velut incantationes, aut illusiones, & dicent, hæc non esse aliud, quàm hypocrisim, ut quis suo intento fruatur. Et dic quæso, quomodo pacabis hos spiritus adeò

mali-

malignos, qui sibi ipsis satisfacere nequeunt, & majore parte temporis nesciunt, quid velint: Quamvis valde prudens sis, & in tuis actionibus circumspectus, quamvis tua verba examines ad lancem sapientiæ, quomodo contentabis tot inquieta cerebra, tot leves & indiscretos spiritus, tot capita, quæ effutiunt quidquid venit in buccam, quæque totum condemnant, quod non intelligunt? jam centies te damnârunt priusquam modum inveneris vel semel illis ostendendi & proponendi tuum rectum modum agendi: hoc est martyrium sapientum quòd nempè judicari debeant, nescio à quibus bardis & vilibus animis. *Idem ibidem.*

136. Quidquid enim tædiosis ac otiosis fratribus conformiter ad legis observantiam agendum incumbit, spinosum videtur. Functiones Chori & Ecclesiæ ipsis spinæ sunt, vigiliæ & jejunia spinæ sunt, victus & vestitus, si non ad salivam sint, spinæ sunt, omnis denique disciplina Regularis ipsis spina ac spinosa est. Cùm ergo omnia regularis vitæ commoda hujusmodi otiosis monachis spinæ sint, nec quidquam delectet, quod spiritum religiosum sapere, ac saginare possit, quid aliud superest, nisi ut ad duo veluti extrema laxitatis genera sese diffundant. Aut enim per frequentiores exi-

tus creaturarum ſolatia extra Monaſterium quærunt, aut intra Monaſterium pigritate, ſomno duntaxat, cibo, potuve, nugis, ac jocis ſe ſe recreare geſtiunt: & cùm hæc ipſis à Superioribus non conceduntur (quemadmodùm concedi non poſſunt) mox inſoleſcunt, & amarulenter obganniunt, ac neſcio quot querelis & contumeliis Superiorem quandoque invadunt, nunc indiſcretum, nunc inurbanum, nunc regiminis inexpertem, aut omnino ineptum proclamant, imò nonnunquam teſte Bernardo ſub eodem jugum obedientiæ recuſare non erubeſcunt, & quod majoris malitiæ genus eſt, de hac ſua audacia & animoſitate deſuper adhuc gloriari non verentur, audentque, ùt ſic *in rebus peſsimis lætari & exultare, cùm malè fecerint.* Hi profectò peccant in Spiritum Sanctum ait Landiſpergius, cùm, hac ſua exorbitantia, non hominis, ſed in homine ſcilicet Superiore ſuo, DEI authoritatem illudendo blaſphæment. O! miſeri Superiores, & infelices Præſules, verè commiſeratione digni, quicunque de hujuſmodi farina Subditos nacti ſunt, nam quidquid agunt, mille morſibûs, mille criſibûs lacerantur! ſi Superiores exequuntur, ad quæ tenentur, ſubditorum odium in ſe concitant, ſi non exequuntur, puſillanimes, ac modici cerebri homines nuncupantur, uno verbo ſubditorum

quili-

quilibet vellet ſuperiorem habere génio ſuo conformem, & ut omnia juxta ſuam ſententiam fiant. Sunt aliqui, qui in ſuperiore rigorem, alii manſuetudinem deſiderent, volunt alii bonîs regi & blanditiîs, alii virgîs ùt ita dicam, & vix non ſcorpionibûs ad diſciplinæ frugem compelli. Quis ergo non meritò cum Superioribus ingemiſcat? ac cum vera compaſſione plangat hanc ſplendidam prælaturæ ſervitutem? Quemadmodum S. Petrus Damiani *Lib. 6 Epiſt. 7.* Monachum quendam laudat, quòd Abbatis dignitatem abdicaverit: Ecce (inquit) de jugo multigenæ ſervitutis ereptus, ingenuæ libertati es per miſericordiam DEI reſtitutus. Quod tamen ſubditorum pauci conſiderant, imò Superioribus ſuis potiùs hoc onus ſuum paſtorale magìs aggravant. Verumtamen non ſic o impii, non ſic, quicunque eſtis de hoc, arrogantium ſeu exorbitantium Fratrum, numero. *Anon: Ichnog 8. Diſcipl. Reg.*

137. Neceſſaria eſt Prælato patientia pro ingratitudine illorum, pro quibus tanta ſollicitudine laborat, ſcilicet, quòd vix unquam eis ſatisfacit, quia ſemper conquerantur, quòd aliter poſſit eis, & meliùs facere ſi vellet: Quòd ſæpe perplexus eſt an debeat eorum importunitatibus cedere, & acquieſcere

ſcere in omnibus, quæ cupiunt, vel rigidè tenere quod credit magìs eſſe expediens juxta illud Pauli: Quid eligam, ignoro, coarctor enim &c. Item quòd invertunt ei plurima quæ facit, & interpretantur ad deterius, & ſuper his viſitant eundem, & murmurant, & accuſant, & detrahunt ei, & ſumunt inde materiam ſcandali, unde putabat ſe eſſe DEO & ipſis obſequium præſtitiſſe, ita, quòd vix in aliquo poteſt inveniri remedium in hoc, quod ordinat, aut quod facit, quin ſemper aliquibus diſpliceat, & turbetur. Item quòd etiam in faciem quidam reſiſtunt ei, vel literìs arguunt eum & deſpiciunt, & concitant alios, ut ſe ei opponant: vel aſtutè impediunt, ne poſſit perficere, quod debet. *S. Bonaventura de Sex alis.*

138. Si Subditus murmuret, aut conqueratur contra Superiorem, factus velut homo non audiens, caveat diligentiſſimè, ne, aut cum eo, qui detulit, aut cum alio quopiam ita loquatur, ut oſtendat etiam ſe vulneratum, aut ita rem exageret, ut dicat: hoc tolerari non poſſe: omnino illum ſeveriùs caſtigandum: non eſſe tales dignos, qui in ſocietate retineantur, & hujuſmodi alia; ſed cum manſuetudine illud potiùs. Doleo bonum Fratrem in hoc prorupiſſe, præſertim cùm Superioris Perſonam

teneo;

teneo; cuperem omnino ſuſpiciones has evellere ex ipſius animo, ex paſſione vehementi iſta dixit: compatior infirmitati ipſius, cùm præſertim hæc, quia in alios redundant, & ſcandalum pariunt, aliquo remedio indigent. Oremus pro illo, videamus quid conſilii? ſanare eum potiùs quàm humiliare cupio. *P. Claudius.*

Exemplum P. Paſchaſii.

139. Cùm Pater *Paſchaſius Boert* rediret Bellomos Lutetiam, iter habebat pedeſter Beltrando Roſerio, qui id ſcriptum reliquit per agrum, in quo de metendis frugibus ad triginta homines opus faciebant. Hi continuò P. annoſum conſpicati ſenem, ludibrio cæperunt habere, & onerare convitiis, ſimulatorem inter cætera, deceptoremque magnîs vocibûs inclamantes. Quem ad verborum ſonitum, quasi ad jucundam ſymphoniam baculo ſuo innixus, ut avidîs auribûs omnem exciperet, conſtitit Pater, nec greſſum movit, quoad illi ſacietate, partimque pudore finem fecere. Tunc verò Paſchaſius erigens ſe, placidiſſimoque vultu miſeros, quaſi de beneficio grates acturus, intuens; DEUS inquit: benignè verbis faciat, Filii, ac benedicat, eaque dicens:

cens: manu ſimul crucis ſalutare ſignum ad benedicendum expreſſit. Non tulêre tam inſolitam mãſvetudinem quamvis ruſtica pectora. Diceres vim continuò bonæ, famuli DEI, precationi ſervîſſe? exẽplô velut attoniti, ad ejus circumfuſi pedes veniam precantes, ſe iniquos conviciatores, illum verò Virum Sanctum re vera deprædicant. *Nicol: Lancicius.*

Prælatus ſit Magnanimus.

140. Excipit (:Magnanimus:) adverſo pectore, omnium adverſantium tela, nil reluctans, ut ad ſũmum virtutis faſtigium perveniat, cum Viris mediocribus & infimis modeſtum ſe ac moderatum exhibet, coram Principibus & opulentis non ſe projicit, nec adulatur, nec eorum potentiâ ſuam opprimi ſinit libertatem. Quæ odio vel amore digna ſunt, apertè odit, apertè amat, quæque palàm dici vel fieri debent, liberè loquitur & operatur, quia nil timet, aut ſperat. Facit eadem, quæ cæteri hominum, ſed non eodem modo, atque ideò utitur diſſimulatione in vulgus, nec ſe facilè populo miſcet. Non meminit injuriarum, & in his, quæ neceſſariò perferenda ſunt, nec querulus, nec ſupplex eſt. Pau-

cos laudat, nec ipſe laudari optat, ſed facere laude digna, non vivit alterius nutu, nisì amici & Superioris, neque facilè admiratur, quia nihil illi magnum, vel novum videtur. In omni caſu ſe ipſo tutus, nullîs rerum movetur eventibûs, motum habet tardum, vocem gravem, orationem ſtabilem ac ſedatam, non enim feſtinat, qui paucis rebus ſtudet, nec vehementer contendit, qui ſe ipſo contentus eſt. *Joannes Bona: Manuduct: C. 29.*

141. Magnus animus ad magna ſemper aſpirat, eaque omnia velut minuta contemnit, quæ pro maximis vulgus habet, opera quidem efficit, quæ multo honore ſunt digna, ſed ipſum honorem & denegatum non ambit, & ſpernit oblatum, nisi aliter exigant DEI honor & obedientia. Nihil ad oſtentationem, ſed omnia ad conſcientiam refert, recteque facti, non populi ſermone mercedem, ſed ex facto petit, in edito ſtat ſemper, excelſus, înſuperabilis, par ſibi in omni rerum ſtatu, nec locis altioribus ſe ingerit, contentus magnitudine ſua, ſuper omnia eminet omnium Dominus, & ideo nulli ſe ſubmittit, neminem rogat, quia extra ſe nulla re indiget. Nihil eſt, quod ipſum terreat, aut incurvet, ſe profert, & ſpectari vult non vanitatis ſtudio, ſed attento gradu, in quo degit, & DEI donis, qui-

bus

bûs refulget. Stat tamen cum his inconcussa humilitas summa coram DEO, quia omnia bona sua, omnemque gloriam in ipsum refundit, pro certo sciens se ex se ipso nihil habere, nihil posse, nihil esse. Hoc est virtutis fines agnoscere, de se suisque rebus humillimè sentire, iisdem tamen habitos honores salva modestia non repudiare. Sequi enim debet gloria, non appeti. *Idem ibidem.*

Prælationes non sunt ambiendæ, sed ex obedientia suscipiendæ.

142. Refert Eusebius Nierembergius ex revelatione, cuidam Sanctæ Animæ & Sponsæ Christi ex Ordine Sancti Francisci, à DEO facta. Cùm enim hæc aliquando à Domino postularet, an cuidam Religioso expediret honorificis Prælationum officiis se miscere? hæc Divinitùs oracula accepit; Voluntas mea est, ne servus meus ullum ambiat officium, imò nec ullam ejus habendi voluntatem significet, nec ullam cogitationem toleret, aut desiderium, nisì tamen obedientia Majorum, dispositio Superiorum ad aliquod officium eum adegerit, pareat jubenti, & ut obligationi suæ satisfaciat,

me in Oratione consulat, ego illi lumen impertiam, adeoque eum gratiâ meâ, ut in omnibus sciat exequi meam voluntatem. Nec pro amicis meis officia hæc à me petatis, petite potiùs gratiam & misericordiam. Pauci habent officia ex voluntate mea, adeoque & pauci propter illa salvantur & multi Sanctorum, quia ea habuerunt, non proinde plus Sancti fuerunt. Invidus dæmon boni illius, quod amici mei possident, cùm officiîs carent, sollicitat, qui ad officia assumat illos, & nonnunquam mediîs, quæ sanctitatis speciem præ se ferant. Multæ enim fraudes in hoc accidere possunt. Dicunt se à me in officiis collocatos, quod minimè ita est, imò potiùs meos ab hac occupatione removeo, propter ingens ejus periculum. Plus enim placet mihi in angulo domûs possidere eos tanquam meos, quàm si miracula patrâssent, ubi cupiditas propropria illos constituit. Relinquite vos, ut à me ducamini, ego enim dabo vobis, quod magìs expediat, quandocunque enim voluero facillimè corda movebo, ut ibi vos statuam, ûbi vobis magìs expediet absque vestris diligentiis: imò quantò magìs obliti, & negligentes in vosmetipsos fueritis, tantò magìs memor & sollicitus ero utilitatis vestræ & Ecclesiæ meæ. Illos, qui mei sunt, humiliare soleo, abigens illos ab officiis, quæ appe-

tunt, nec enim attendo eorum inclinationi, ſed deſiderio & utilitati, ut integrè mei ſint, memores eſtote & grati filio meo, quoniam humilio vos, qui autem largiri cupit, quod plus eſt, nequaquam vult auferre, quod minus eſt, cùm vobis expedierit. Multis, quia probi ſunt, conferuntur officia, quibûs carere & caruiſſe, præſtaret illis, magnum præcipuè privilegium eſt, neceſſarium regendis animabus, ſæpè permitto malos præeſſe aliis, iiſdemque munia conferri, ſive, ut hoc pacto remunerer paucula eorum obſequia, ſive, ne deſperatione tententur, ſi ſemper ſe deſpectos, derelictoſque videant, ſive ut illos occupem in rebus terreſtribus, ut mei Filii expediti & liberi ſint, ut orationi vaccent, ſuoque profectui, & ſaluti inſiſtant, ſive ut ii ipſi mali, quia officia gubernaculaque poſſident, exerceant, humilient & purificent eos, qui mei ſunt, ſive ut Filii mei agnoſcant, quantum bonum ipſis providerim, & à quot culpis eos liberaverim, dum ſinè officiorum onere illos conſervaverim. Quæ officia multos, quia antea videbantur ſenſati, vanitate ſua infatuârunt. His officiis multi annectuntur labores, vituperia, inhonorationes, curæ, multaque alia onera, è quibus omnibus eripio ego meos amovens ab officiis, unicum duntaxat munus volo ut meos occu-

pet,

per, imitari scilicet Filium meum JESUM Christum in vita & morte, & ego providebo, quidquid illis utile, & salutare erit. Confidant de me, Qui sum Pater omnia potens, & ex corde diligo illos, atque præstabo illis officia, & quidquid spiritualiter, & temporaliter salutarius erit, sufficiens bellum habeant Filii mei in cellis suis cum carne sua & dæmone, absque eo, quòd voluntate sua in Mundi discrimina se immergant, per gubernandi curam. *Euseb. Nierembergius &c.*

Susceptæ fortiter ferendæ.

143. Vir fortis non se temerè malis ingerit, sed advenientia constanter fert, non appetit formidabilia, sed spernit, ibi extollitur, ubi cæteri deprimuntur, ibi stat, ubi alii jacent: Non illum subigit dedecus, non repulsa, non exilium, non injuriæ, nō eum carcer, non tormenta, non ipsa mors exterrēt, omnem luctum, omnem ægritudinem, omnes molestias magnitudine sua elidit, non se minîs, aut precibûs à recto detorqueri permittit: non despondet animum, & si plura benè cæptis obsistant impedimenta, non cedit oneri, nec officiô semel susceptô jactatur, sed persistit, donec perficiat, stat

rectus ſub quolibet pondere, nulla illum vis, nulla potentia, nullus terror minorem facit, periculîs undique imminentibûs non allidit virtutem, nec abſcondit. Quò denique tendat, ſemper attendit. *Ioan: Bona: Manud: C. 28.*

144. Pro commùni utilitate ad ſingulorum profectum tàm æqualium, quàm minorum ſe Paſtores animarum prudenter exerceant, temperanter vivant, tolerent fortiter, juſtitiæ Regulam ita cuſtodiant, quatenus per ipſos honoretur DEUS, & ad bonum excitentur proximi, Eccleſia gaudeat, lætificentur Angeli, univerſusque Sanctorum cætus exultet in Domino. Cæterùm, ut hæc, ipsîs mediantibûs fiant, ſtudeant in lumine prudentiæ intelligere, quæ ſit voluntas DEI beneplacens atque perfecta, qualiter ſibi commiſſos debeant regere, leges diſponere, dividere officia, dignitates impertiri, ordinare gradus, ſingulorum qualitates agnoſcere, converſari cum omnibus, prævidere pericula, tentationes diſcernere, vitare caſus, corpus proprium gubernare, virtutes acquirere, exercere dona, & carnem rationabiliter ſubjugare Spiritui, ſciant quoque Cæleſtis gratiæ opitulante præſidio, vitam ſuâ modeſtè ducere, motus animi inordinatos cohibere, carnis impetus reſtringere, ſenſualitatis petulā-

tiam

tiam domare, visum ab aspectibus voluptosis avertere, ab obtrectationibus auditum obstruere, à murmurationibus lingvam compescere, tactum à lenociniis impudicis refrænare, cum gravitate incedere, rationabiliter loqui, sobriè cibum sumere, circumspectè conversari, omnes interioris exteriorisque hominis actus, sub disciplina virtutum moderari, adversa insuper omnia, damna videlicet rerum, Parentum exitia, discrimina propinquorum, opprobria, contumelias, irrisiones, verbera, carceres, vincula, exilium, persecutiones, paupertatem, famem, sitim, nuditatem, langvores, tentationes, pericula, casus & mortem, pro amore DEI, & creditarum sibi plebium utilitate, strenuè, fortîque animô (causa tamen urgente legitima) tolerare. Postremò, in cunctis operibus suis justitiam exercentes, ad bravium mercedis perpetuæ valebunt feliciter pervenire. Hæc profectò est virtus, quæ ornat mentem, conformat DEO, & virtutes gratificat universas; prudenter quidem discernere quæ agenda sunt, corpus & facultates moderatè disponere, aggredi viriliter ardua parum prodest, nisi fine debito hominis intentio dirigatur. Quamobrem ille Præsul meritò dicendus est justus, qui DEO cogitationum, actionumque suarum, perpetuum exhibet famulatum, atque proximo suo in omnibus honestis, ac piis

necessi-

necessitatibus ejus sedulum dilectionis præstat obsequium, quique universis studet prodesse, in consiliis, exhortationibus, admonitionibus, & exemplis, atque in cunctis operibus suis sinè crimine transire conatur. *S. Laurent: Iustin:*

145. Boni Magistri bonos Discipulos facere consueverunt ùt frequentiùs, multi fierent meliores in Religionibus & in Ecclesia, si melioris vitæ eis exempla in suis Doctoribus proponerentur. Negligētia verò hujusmodi ab illis, qui culpabiles sunt, districtè in judicio requiretur. Nam Dominus dicit: *Ecce Ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum. S. Bonaventura.*

Tria maximè, Prælati subditis commendent.

146. Tria sunt verè monita à summis Prælatis ab inferioribus urgenda, hortari nempe; ut Orationis & mortificationis spiritum alant, ut observantiam regularem tueantur, ut pacem constabiliant. Primum monitum cæterorum fons est. Si enim Monachi Prælatorum exemplo & hortatu, Orationis

nis studio se dent, propriasque passiones subjugare constituant, firmissimū sanè fundamentum, ad, Monasticæ perfectionis, ædificium, perfodient. Spiritu quippe cælestibûs donîs instructo, ac intento, corporeque domito, nullîs dæmonis infestationibûs à communis ac regularis vitæ cursu se retardari, aut pacis bonum ex ulla parte labefactari comperient. Res apud Monasticæ rei Consultos certa & diuturna observatione deprehensa est. Secundum monitū omnium legum custodiam amplectitur, sed in solemnium votorum observationem præcipuè incumbendum est: ut nôrit Ordo Universus, Generalem instare, ut obedientia, castitas, paupertas, exactè colantur, licentiamque in rebus tantis ferre nolle. Tertium monitum mixtionem quandam charitatis patientiæ ac prudentiæ requirit, ut Prælati inferiores, monente Generali, amanter, patienter, ac prudenter agant, pacemque nutriant, quæ bonum quoddam Divinum est, cujus gratiâ multa ferre ac dissimulare Clarissimi Ordinum Patriarchæ docuere, *Ioann: à Iesu Reg: Monas: P: 2. C. 17.*

Prælatus tutiorem sententiā sequatur.

147. Vereor, ne multi Præsides, qui sibi videntur innoxii, damnentur interitu sempiterno, quem

dum

dum contemplor, equidem cohorreo. Et profectò timor hic meus, fundamentô minimè caret, quod planè perspiciet, qui Gubernatoris officium attentè trutinaverit, simulque animadverterit, quod ego sæpe observavi, Præfectos plerosque admonitos de rebus seriis, quas officii suscepti ratio suggerit, tanquam à gravi somno evigilantes, novamque doctrinam sibi obtrudi credentes facilè ostendêre, se degente sibi credita tenuiter cogitâsse, iis præsertim in capitibus, quæ Christus ab eis maximè requirit. Quod verò bonis æstimatoribus pejus in hoc genere videtur, audacia quædam est eorum, qui, cùm opiniones Theologorum Jurisque Prudentum communes audierint, hærent nihilo secius levioribus paucorum sententiis parùm tutis, maluntque periculoso itineri se committere, quàm peractam salutis viam à Christo ostensam, incedere. Miror certè ausum hunc, si enim in urbe amplissima, quam interfluit amnis, duo pontes populo transitum præberent, communique bonorum Architectorum sententia pons alter, parum tutus existimaretur, profectò vix è multis millibus unus tutiorem pontem mortalis vitæ amore perurgente non peteret: Quomodo ergo è duabus opinionibus, quarum altera communi Sapientum consensione reprobatur, quæ minùs tuta est, à tam multis eligitur? an immortalis vita

æquè

æquè ac mortalis non ametur? cur tamen vitam hominis immortalem cum mortali confero? certè, ùt in exemplo duorum pontium allato persistam, nemo, non se ipsum modò, sed ne equum, quo ad exportandum stercus utitur, periculoso ponti crederet. Si ergo equus, vel asellus pontem infidum pertransire non sinitur, ne fiat modica rei familiaris jactura, cur anima Sangvine Christi redempta periculosis opinionibus in tanto æternæ mortis discrimine se ipsam credit, sibique tantopere vilescit? *Ioann. à IESV.*

Prælatus sit parcus in concedendis favoribus, signanter Communitati.

148. Potest quandoque Religioso particulari propter speciales labores, speciale indulgeri solatium, ast non ita facilè communitati quia, quod in particulari conceditur: ut plurimum, tanquam favor accipitur, quod autem omnibus indulgetur, prope diem festivis characteribûs Calendario inseritur, ut simili occasione vel Festo tanquam debitum expetatur, quidquid vel semel fuit speciali favore concessum. Superiori autem erit reddenda ratio de o-

mnibus excessibus, quicunque vel ex tali concessio, ne, vel ex talis vigoris mitigatione, vel ex tali dissimulatione & conniventia, etiam post multos annos evenerint. Ipse enim sparsit semen talium fructuum. *Æmilia: Naisl.*

Prælato nimietas vitanda.

149. Qui pluribus cogitur vivere ad exemplũ: & satisfacere singulis, & omnibus placere, multa indiget discretione, ut medium valeat retinere, ne sit nimis tristis, vel hilaris, nimis severus, vel lenis, nimis socialis vel alienus, nimis tacitus, vel verberosus, nimis durè loquens, vel blandè, nimis rigidus, vel remissus, nimis sæpe cum hospitibus vel rarò, nimis lautè reficiens, vel tenuiter, nimis facta Fratrum observans, vel dissimulans, nimis fovens aliquos, vel alios parvi pendens, & similia. Cùm ergo non possit semper teneri, quòd omnibus placeat, minùs tamen deviat, si ad benignitatis partem plus declinat, per quam redditur subditis magìs amabilis, ob quam ei libentiùs obtemperant, & audaciùs ad eum reccurunt, in quibus indigent. Ipsa enim potestatis authoritas facit eum satìs timendum subditis, & si huic jungitur austeritatis se-

veritas

veritas, pavidis fit mentibus onerosa. *S. Bonav. de sex alis C. 6.*

Subditus inauditus ne puniatur.

150. Dum alicui pænitentiam injungit præsertim graviorem, non injungat, non auditô priùs & interrogatô subditô; qui, si neget culpam à se commissam, & convinci non possit, satiùs est abstinere à puniendo, quàm cogere invitum ad pænam, ex qua coactè suscepta, non sequitur emendatio, sed amaritudo cordis, & aversio à Superiore, quæ longè majora mala sunt; quàm sit bonum, coacta punitio. Si verò Subditus agnoscat culpam, & judicet se pænâ dignum, imponat ei sinè ullo signo cõmoti animi, sed potiùs ex amore conservandæ disciplinæ, vel satisfaciendi pro dato scandalo, vel impediendi, ne ab aliis similia committantur. *Nicol: Lancic: Opusc: 12. C. 19.*

Prælatus nihil ex præoccupatione judicet.

151. Curet quoque solerter qui præsidet. æqua discretionis lance, & non propria affectione vel pas-

fione fingulorum dijudicare itinera. Accidit namque perfæpe, ut, minùs purgata Rectoris mens dirigere conetur fubditos, prout fibi ipfi libuerit, vel ficut ex propria cognoverit experientia, menti fuæ effe conformes, atque parvi fortè momenti arbitretur, quisquis ab eo, quod ipfe aut vivendo, aut loquendo commendaverit, diffentit. Sola, quæ juxta proprium funt appetitum laudat, cætera verò nunc diffvadendo, nunc detrahendo deprimere molitur. Hoc omnino non expedit, fed fingula in fingulis DEI extollenda funt dona, quæ, quamvis contraria effe videantur, uno tamen laudabilis intentionis confenfu, & in DEUM tendunt, & DEUM pariter magnificare nofcuntur. Propterea debet, qui præeft, ne in has errorum decidat foveas, fibique commiffos trahat, mentem habere à paffionibus liberam, & fupernæ fplendore fapientiæ decoratam, atque fraternæ compaffionis affectu perfufam. *S. Laur: Iuft. de Difcip: Monaf: Converf: C. 9.*

Vitia plerumque fub virtutis fpecie latent.

152. Scire etiam Rector debet, quòd plerumq; vitia, virtutes fe effe mentiuntur. Nam fæpe, fub parfimo-

parſimoniæ nomine, ſe tenacia palliat, contractaque effuſio, ſub appellatione largitatis ſe occultat; ſæpe inordinata remiſſio, pietas creditur, & effrænata ira, ſpiritualis zeli, virtus æſtimatur. Sæpe præcipitata actio, velocitatis efficacia, atque agendi tarditas, gravitatis conſilium putatur. Unde neceſſe eſt, ut Rector animarum, virtutes ac vitia, vigilanti cura diſcernat, ne aut cor tenacia occupet, & parcum ſe videri in diſpenſationibus exultet: aut cùm effusè quid perdit, largum ſe quaſi miſerando glorietur, aut remittendo, quod ferire debuit, ad æterna ſupplicia ſubditos pertrahat, aut immaniter feriendo, quod delinquitur, ipſe graviùs delinquat, aut hoc, quod agi rectè ac graviter potuit immaturè præveniens, leviget, aut bonæ actionis meritum defferendo, ad deteriora permutet. *S. Gregor: Reg: Paſtor.*

Prælatus cui patrocinari debeat.

153. Imbecilliores ad tuam opem, ſed ex juſto confugientes, non deſertos patiaris: fidam enim operam præſtant; vide tamen ne eo ſub prætextu, flagitiô pollutis liberum apud te aſylum permittas, & ex eo falſam protegendi potentiam præſumas, quæ tunc ſolùm vera & glorioſa eſt, dum virtuti, non vitio patrocinatur, *Max: Fredro. Mon: Pol: Part: III.*

Præla-

Prælatus in ordinandis rebus pedetentim procedat.

154. Voléns redigere in ordinem res non benè procedentes, non ſtatim velit omnia ordinare, ſed faciat initium, à re aliqua majoris momenti, eâ bene ordinatâ, pergat ad reliquas ſucceſſivè, aliàs repentina omnium rerum mutatione præter admirationem & diſplicentiam in Communitate concipietur de illo à Subditis opinio non conveniens, & noxia ſuo officio; ac timor quidam alios invadet, ut declinent eum tanquam violentum reformatorem & turbulentum caput. Iſta eſt humana fragilitas, cujus eſt quandoque habenda ratio; hinc factû eſt, ut nec Chriſtus Dominus, nec ejus Apoſtoli legem veterem ſtatim abrogârint, poſt Chriſti Aſcenſionem, ſed pedetentim. *Nicol: Lancic: Opus: 12.*

Prælatus in actionibus ſuis ad proborum duntaxat judicium attendat.

155. Non rarò evenit, ut Superior aliquid faciat, nec tamen cauſas & motiva manifeſtare poſſit, vel debeat. Nam quandoque obſtrictus erit ſigillô inviola-

violabilis ſecreti, adeòque, ſi aliquid dicat, præter violationem ſecreti, forſan totum negotium deſtruet, & peſſimos effectus producet. Quid ergo faciat in tot anguſtiis conſtitutus? an ſuam mentem candidè aperiat? ſed ſecretum frangit, omnia deſtruit, & pro eo, quod nimium defectum emendet, forſitan majorem committat? an nihil dicat, & tamen faciat, quod æquum judicat? Subditus hoc judicabit, diſſimulationem, prætextum; dicatque quòd nullam erga eum habeat confidentiam, quòd agat dolosè, fraudulenter, quòd non ſit ſincerus candidus, ſed verſipellis. Quid ergo faciat miſer Superior? quod ſi loquatur, offendit DEUM, violat ſecretum, proſtituit ſuam conſcientiam. Quod ſi taceat, Subditus ſummoperè affligitur, ita, ut nisì veniat aliquis Sanctus Gabriel, quædam Sancta inſpiratio, & diem producat in illo miſero, tenebrîs involuto, & omnia illa dubia diluat, Superior, quamvis eſſet Seraphim, cuivis ſatisfacere nequeat. Nunc capio cur S. Paulus tàm dilucidè dixerit, ſi conarer hominibus placere, ſanè non eſſem bonus ſervus mei Domini Chriſti JESU. Nam dantur Subditi naturæ tam malæ, vel ob aliquam paſſionem, quæ prædominatur, adeò inordinati, ut contentari nequeant, nisì Chriſtus, & probiores, qui in Communitate degunt, offendantur. Hæc itaque conſolatio Virorum

Sancto-

Sanctorum & etiam S. Bernardi fuit, qui videns suas actiones in sinistram partem trahi, crebrò dicebat. Bernarde! audiant mansveti & lætentur & sufficit nobis. Actiones meæ cribrentur, judicentur à Personis benignis, à capitibus mansvetis, suavibus, impassionatis: Nam si boni mea acta approbent & rata habeant, reliquos nil æstimo; nec aliquid ulteriùs in mundo desidero. *Rennat: Franc:*

Prælatus non facilè consilium mutet, nisi in melius.

156. Non sit (qui præest) levis in proposito, & inconstans in consilio, ut, quod jam placet, mox displiceat: modò velit unum, modò contrarium, ubi potissimùm rationabilis causa non apparet. Quis enim ejus judicio credat, vel ejus voluntati se contemperet, quem in neutro stabilem agnoscat? ideo ejus subjecti non possunt ejus revereri prudentiam, nec sciunt se parare ad ejus voluntatis obedientiam, & in utroque non potest non esse modicum nocumentum - - Ubi tamen causa rationabilis subest justæ necessitatis vel piæ utilitatis, ut aliter, & aliter fieri expediat, non est hoc levitas, sed maturitas,

tas, quia ſicut ſtultum eſſet, melius mutare in deterius, ſic etiam ſtolida eſſet obſtinatio tam pertinaciter inhærere conceptis, ut pro majori bono, & aperto, flecti ab illis non poſſit. *S. Bonav: de ſex alis Cap: 6.*

Prælatus ſit circumſpectus in ſuſcipiendis querelis.

157. Summoperè cavèndum eſt, nempe, ut, dum omnibus ſatisfieri nequit, Superior nulli gratificari conetur, quamvis enim ſubdito non ſemper injuria inferatur, attamen ſæpè offenditur, & Superior ex parte ſua injuriam committit, vel quia non eſt benè informatus, vel quia nimis excandeſcit, vel quia nimis facilem fidem adhibuit delatori, qui, quamvis ſe rem æquam facere putet, attamen defectum nimiùm exageravit, & muſcam vendidit pro elephante, vel quia tandem ob aliquam impatientiam, naturalem, torvè, moroſè, durè, ſubditos alloquitur, aut ferum, immanem, erga eos ſe exhibet. Et profectò hæc materia eſt maximi momenti, cùm enim Sancti, ſint homines ſicut alii, quamvis quà Sancti actiones valde perfectas producant, attamen, quà

 homi-

hominibus iis quandoque aliquid elabitur, quod humanum ſapit. Porro, ſicut ſubditi indecenter ponderant hanc impotentiam eorum humanæ conditionis, ut omnes eorum defectus propalent, ita valde decenter & prudenter Superior abſque ullo fuco agnoſcit ſe eſſe hominem defectuoſum, & humiliter, ac verè fateatur ſe eſſe imperfectionibus obnoxium, ſeque inculpabiliter poſſe errare, & in multis deficere. Hoc moderamine, DEO gratificabitur per ſuam humilitatem, bonis per ſuam charitatem, imperfectioribus per ſuam patientiam & longanimitatem. Porro, quamvis non omnes perfectè contentet, attamen hoc ſolatio perfunditur, quòd ejus regimen, modus agendi futurus, ſit gratus ſapientibus & ſenſatis, qui DEUM benedicent, quodque ille nihil, ſinè circumſpecto ſenſu ſuorum ordinariorum conſultorum & prudentiorum, ediſſerit. *Renn: Franc. Id. Bon: Reg: c. 6.*

158. Magna haud virtus eſt, faciles præbere aures defectibus: difficile eſt eas præbere virtutibus, contrarium enim fieri deberet. Quale enim cor Subditus poſſit habere? qualem amorem? qualem fiduciam? ſi videat, quòd tam ſiniſtram opinionem de eo habeas, quòd facillimè fidem præbeas ejus

defecti

defectibus, exiguam autem vel nullam ejus virtutibus, rationibus innocentiæ, *Rennat: Franc;*

Prælatus ex levibus conjecturis neminem condemnet.

159. Quæ major temeritas esse potest, quàm occulta, quæ nec scis, nec scire potes, dijudicare. Quis (ait Apostolus) hominum scit, quæ sunt hominis, nisì spiritus hominis, qui in ipso est *1. c. 2.* Imò & ipsummet multa prætereunt, solusque Spiritus Divinus illa novit, Qui cordis penetralia scrutatur. Quomodo verò illum judicare poteris, qui hodie improbus est, cras talem etiam futurum, vel non convertendum, cùm solus DEUS nôrit, quæ eventura sunt. Si dixeris, ex indiciis externis perspici posse, quæ intra mentem delitescunt, quæque postea eventura sunt. Hoc ipsum temeritatem tuam arguere, & prudentiæ defectum indicare tibi respondeo. Imò quamvis legitimus proximi tui judex esses constitutus, eorundem tamen nisì sufficienti rei probatione præcedente damnare non deberes, quare si nudîs levibûsque indiciis nixus condemnes, insignem illi injuriam irrogas, tam & ipse

DEUS (ùt Evariſtus & Gregorius obſervârunt) quò noſtram temerîtatem, judicandique pronitatem re. frænaret, Sodomitarum peccata noluit dijudicare, nisì verbîs illîs præmiſsîs: Deſcendam & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint? an non eſt ita, ut ſciam; quo loquendi modo oſtendere voluit, ſe, non ex ſolo relatu aut levibus conjecturis dijudicare, ſed re planè comperta & benè perſpecta. Nolite (inquit Dominus) judicare ſecundùm faciem, ſed juſtum, veritatisque judicium judicate. Idem ſvadet lex illa naturalis, quæ præcipit: Quod ab alio oderis tibi fieri, tu ne alteri facias. Nolles porro à quoquam temerè judicari de rebus tuis, cur igitur de alienis ipſe tam leviter dijudicas? nolles ab alio interiùs contemni, cur ergo tu alium contemnis? ſi nolles falſum teſtimonium ab alio de te dici, cur tu injuſtè & immeritò alium calumniaris? temerarium enim judicium aliud non eſt, quàm quidam proximi contemptus, & falſum de illo teſtimonium, quod in corde adverſus illum profers, dum ſiniſtram de illo concipis opinionem. Si proximi peccatum tam grave tibi videatur, conſidera quæſo tuum, quod temerè hic dijudicando committis, ſæpiùs etiam gravius fore. *Ludov. de Ponte:*

Præ-

Prælatus fraudulentos ne audiat.

160. De Viro autem fraudulento quid memorem? sermonibus namque illius non facilè Præsul credat, dum judicat. Consuevit utique aures judicantis blandîs mulcere adulationis eloquiîs, pietatis inserere verba, compassionem ostentare in gestis, cum intus plenus sit nequitiâ, simulatione, & odio. Observat quasi leo in spelunca sua, si quomodo judicem capiat in sermone, & si illum callida locutione decipere possit. Quærit Præsulis intellectum captivare rationibûs fictîs, iniquitatis ipse effectus captivus. Denique, dum vult tenere, tenetur, & dum fraudem meditatur inferre, ipse decipitur ab eo utique, qui deceptionis suæ calliditate priorum Parentum nostrorum abstulit gloriam, illosque expoliavit candore innocentiæ, puritatis bono, dominio creaturarum, habitatione Paradisi, Angelorum consortio, felicitate cælesti, propter quod effecti sunt inimici DEI, sibi ipsis contrarii, coloni mundi, agrorum cultores, super terram profugi, delictorum obnoxii, corporis servi, jumentorum similes, velint nolintque, mortales. Tales profectò fructus, talisque merces est subsecuta fraudis inventoris, ac seminatoris ex fraude. Hoc siquidem letha-

le virus, ex quo humanum omne deordinatum est genus, antiquus coluber quotidie in cordibus iniquorum infundere non desinit, ut, quod minimè per se valet, hoc per membra sibi subjecta perficiat. Nam quemadmodum Sancti & Justi membra sunt Christi, ita scelerati & infideles sunt instrumenta diaboli, Hinc prudenter admonentur Pastores Ecclesiæ, & in regimine constituti, ut fraudulentorum observent diligentissimè venenata consilia ac colloquia, quæ, ùt cancer serpunt & veritati semper obsistunt. Porro, cum difficultate talibus credenda est veritas, nisì sit in propatulo, & ipsa sibi ipsi conspicuum testimonium reddat. *S. Laurent. Justin. de Institu: Præl.*

Neque Adulatores & Detractores.

161. Duo sunt genera hominum, quorum consilia prudens Rector non debet recipere, scilicet adulatores & detractores, Primi istorum, seducunt eum, ut magìs de se, quàm expedit, præsumat, juxta illud: Qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant, ne de te vera sentias humilitate propriæ cognitionis. Secundi inducunt eum, ut pejùs quàm debet, de aliis suspican-

ſpicando ſentiat, & ſæpè innocentes condemnet, & priuſquam veritatem rei plenè cognoſcat, dicente Scriptura: Aures principum ſimplices, & ex ſui natura illud æſtimantes callida fraude decipiuntur, & malìs quorundam ſuggeſtionibûs, Regum ſtudia depravantur, ut eos, qui credita ſibi officia diligenter obſervant & ita cuncta agunt, ut omni laude ſint digni, mendaciorum cuniculìs conentur ſubvertere. Cùm autem tribus de cauſis ſoleat requiri conſilium, ſcilicet propter emendationem, ut diſcatur, de quo dubitatur, propter auctoritatem, ut plus habeat vigoris, quod per tales conſultum fuerit, & propter pacem, ne habeant aliqui occaſionem murmurandi. Ideo propter primam cauſam conſulendi ſunt prudentiores, propter ſecundam nominatiores, & propter tertiam omnes ad quos negotium pertinere videtur. Sed quia ſingularia ſinè numero ſunt, in quibus diſcretio eſt neceſſaria, non poteſt dari certa & communis regula, quæ valeat pro omnibus. *S. Bonavent: de Sex alis.*

Nec facilè omni nuntio credendum, ſed præmeditatione opus.

162. Pleraque indigeſta ex conjecturis levibus orta, ad Gubernatores deferuntur, quæ animum non

benè

benè firmum graviter afficiunt, & ad odium, iram, vindictamque propellunt. Quamobrem præmeditatione opus est, ut Vir prudens non temerè fidem commodet nuntiis, vel susurris, animumque dilatet, ut capiat multa, nec revomat, passionesque subsultantes rationis frænô coërceat. Vix dici queat, quam deceat Gubernatorem intus concepta, vultuque exhibita tranquillitas, incompositis motibus minimè obnoxia, quæ cælestem quendam statum repræsentat. Quo quidem in genere laudem primam promerentur, qui nuntia mæsta sedatè & constanter recipiunt, quales Job, qui armentorum prædæ, cælestis incendii concussæ domus convivalis, oppressorumque Liberorum nuntios incredibili animi fortitudine ac latitudine accepit, cujus proinde laus nulla oblivione delebitur. Illi verò facilè vituperandi, qui levi suspicione tacti vehementer commoventur iræ impetu, tanquam frenitide correpti. *Joan: à JESV de arte Guber: P. IV. c. 16.*

Prælatorum conditio, quantis sæpta incommodis.

163. Ergo insanis, si putas adepta te dignitate securum & quietum fore. Quod olim licuit, jam non

non licebit, minor licentia in magnis est: Quò altior fueris, eò magìs vitia tua apparebunt. Non latet qui in fastigio est, si qua tibi olim tranquillitas fuit, ,jam periit. Nullum tibi Secretum liberum erit, nullum poteris diem ex arbitrio tuo disponere. Magni sunt ex alto casus. Frustra requiem tibi quæris, ubi omnes periculum & labores, multique miserum vitæ exitum invenerunt. Non capiunt securas dapes Regiæ mensæ, auro & gemmis bibuntur toxica. Quot Reges proprio sanguine solium purpurârunt! lubrica in summo statio est, pendula omnia & præcipitio proxima. Tutiùs itur per plana. Quàm magnus admirantium & plaudentium numerus, tam magnus invidentium est. Quanti ibi insidiantium acervi, & oppugnantium? quàm intuta omnia & suspecta? non servis fides, non amicis, non Fratri &c. Ad humi jacentem domū non intrant scelera, securiùs vivit, qui latet, nullū timet, quem nemo timet. *Ioan: Bona Manud. c. 9.*

164. Attamen cupidi sumus ascensionis, exaltationem concupiscimus omnes, nobiles enim creaturæ sumus, & magni cujusdam animi, ideoque altitudinem naturalì appetimus desideriô - - - *S. Bernar. Ser. 4. in Dom. Asc:* Audi breviter de honoribus: Ducem te constitue, & data est tibi facultas ut miser sis, & ampliùs non quiescas: Cumulatur

materia solicitudinem, & inter ærumnas cor ipsum excedentes, necesse est vultum induere gaudiorum. Nunquid in honore, sinè dolore? in Prælatione sinè turbatione? in sublimitate, sinè vanitate quis esse potest? Miseri, juxta Philosophum, mercedem miseriarum amamus, & ipsas execramur. Audi & de gloria. Si quæris gloriam, omnibus invidiæ semina præbuisti. Inflatus es & in ventilatorio plenius disrumperis, nec attendis quot te sequantur, sed quot te præcedant. Conglomerantur omnes ad detrahendum tibi, ad maledicendum linguas acuunt, & argutissimus es, si vel manum, vel linguam invidorum possis evadere. Ecce unde gloriosus esse volebas, ingloriosus esse convinceris. *Idem Ser. in Ho. S. Nicolai.* O ambitio ambientium crux! quomodo omnes torquens, omnibus tamen places? nil acerbiùs cruciat, nil molestiùs inquietat, nihil tamen apud miseros mortales celebrius negotiis ejus *Idem L. 1. de Consid. c. 1.* Meditantibus quidem honores blandiuntur, sed onera pensantibus odio sunt, atque formidini. Non autem omnes capiunt verbum hoc. Multi enim non tanta fiducia & alacritate currerent ad honores, si esse sentirent & onera. Gravari profectò metuerent, ne cum tanto labore & periculo quarumlibet affectarent infulas dignitatum. Nunc verò quia sola attenditur gloria & non pæna, pu-

rum

rum esse Clericum, erubescitur in Ecclesia, seque viles existimant & inglorios, qui, quocunque eminentiori in loco non fuerint sublimati. *Epist.* 42.


165. Sufficit hucusque nostris nunc Con-sacerdotibus (Con-Abbatibus, Con-Prælatis &c.) paululum dilatâsse sermonem. In quorum Excellentia, simul & casum demonstravimus, ne fidentes in sublimitate honorum minimè requirerent perfectionem morum, & in solo se crederent Sacerdotis (Superioris) nomine, plus quàm opere gloriari. Et quanquam sciam, pro hoc libello plures mihi - - - - qui hæc quæ loquimur, agere nolunt, infideliter, esse detracturos, credo tamen plurimos, qui hæc agunt, vel agere obnituntur, fideliter pro nobis oraturos. Sed sicut lacerationibûs obtrectatorum minimè prægravamur, sic demum probatorum & Sanctorum Virorum orationibûs adjuvamur. Age jam nunc Sanctificus Spiritus, Qui nos in hoc opere Divinîs inspirationibûs adjuvisti, cunctos Sacerdotes (*Superiores*) adjuva & præsta, ut faciant, quæ in hoc opusculo Ipse eloqui inspirâsti, ut eis unà mecum tribuas sæculorũ Regna, quæ Sanctis in Regno sæculorũ dare promisisti. Amẽ. *S. Ambrosius de Dignitate Sacerd. C.* 7.

Facientibus hæc, Regna patebunt æterna.
S. P. N. BENEDICTUS in Epilogo suæ Regulæ.

ORATIO
S. THOMÆ *Aquinatis Ecclesiæ Doctoris.*

Concede mihi misericors DEUS, quæ Tibi placita sunt, ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere, perfectè adimplere, ad Laudem & Gloriam Nominis Tui. Ordina statum meum, & quod à me requiris, ut faciam, tribue, ut sciam; & da exequi, sicut oportet, & expedit animæ meæ. Da mihi Domine DEUS meus inter prospera & adversa non deficere, ut in illis non extollar, in istis non deprimar. De nullo gaudeam, vel doleam, nisì quod ducat ad Te, vel abducat à Te. Nulli placere appetam, vel displicere timeam, nisì Tibi. Vilescant mihi Domine omnia transitoria, & cara mihi sint omnia Tua propter Te, & Tu DEUS præter omnia. Tædeat me gaudii, quod est sinè Te, nec aliud cupiam, quod est extra Te. Delectet me Domine labor qui est pro Te, & tædiosa sit mihi omnis quies, quæ est sinè Te. Frequenter da mihi Domine cor ad Te dirigere, & in defectione mea cum emendationis proposito dolendo pensare. Fac me Domine DEUS obedientem sinè contradictione, pauperem sinè defectione, castum sinè corruptione, patientem sinè murmuratione, humilem sinè fictione, & hilarem sinè dissolutione, tristem sinè dejectione, maturum sinè gravitate, agilem sinè levitate, timentem sinè desperatione, veracem sinè duplicitate, operantem bona sinè præsumptione, Proximum corrigere sinè elatione, ipsum ædifi-

ædificare verbô, & exemplô sinè simulatione. Da mihi Domine DEUS cor pervigil, quod nulla abducat à Te curiosa cogitatio; da nobile quod nulla deorsum trahat indigna affectio; da rectum, quod nulla obliquet sinistra intentio, da invictum, quod nulla frangat tribulatio, da liberum, quod nulla sibi vendicet perversa & violenta affectio. Largire mihi Domine DEUS intellectum Te cognoscentem, diligentiam Te quærentem, sapientiam Te invenientem, conversationem Tibi placentem, perseverantiam Te fideliter expectantem, & fiduciam Te finaliter amplectentem. Tuìs pœnîs configi per pænitentiam, Tuîs beneficiîs uti in via per Gratiam, ac tandem tuîs gaudiîs in Patria frui per Gloriam. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis in sæcula sæculorum. Amen.



APPROBATIO
Congregationis Benedictino-Polonæ sub Titulo Sanctæ Crucis.

Nos Florianus Amandus de Janowek JANOWSKI Sacræ Theologiæ Doctor, Archi-Cœnobii Tynecen: Abbas, Canonicus Cathedralis Cracovien: Ejusdem Congregationis Præsidens Generalis: Harum serie, Nostriquè Authoritate Officii, Perillustri Reverendissimo Domino Stanislao, Nicolao de Tolentino KIESZKOWSKI Monasterii Horodiscensis seu Castro-Cassinensis Abbati licentiam facimus & facultatem impertimur, Librum, cui Titulus: *Pastor Bonus ex animo.* publicîs Typîs vulgandi, dummodo sit priùs duorum Ordinis Nostri Theologorum censoriô Judiciô comprobatus, aliaquè serventur de Jure servanda. In quorum fidem has Literas manu propria & Sigillo Officii Nostri munitas dedimus ex Archi-Cœnobio Nostro Tynecensi 21. Martii. 1774.

(L. S.)

FLORIANUS AMANDUS JANOWSKI. Archi-Cœnobii Tynecensis Abbas Congregationis Bened. Polonæ Præsidens Generalis.

APPROBATIO THEOLOGICA.

DE ſpeciali commiſſione Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini FLORIANI AMANDI *de Janowek* JANOWSKI, Sacræ Theologiæ Doctoris, Archi-Cœn: Tynecen: Abbatis, Canonici Cathedralis Cracov: Congregationis Noſtræ Benedictino-Polonæ ſub Titulo S. Crucis Præſidentis Generalis, Librum, Cui Titulus: *Paſtor Bonus ex Animo*, attentè perlegimus, nihilq; quod Fidei Orthodoxæ, aut bonis moribus diſſonum foret, invenimus, ſed potiùs præfixô *Paſtoris Boni* Titulô, digniſſimum à plurimis qui quovis nomine præſunt (uti ſperamus) apprimè ſibi comparandum & magna in æſtimatione habendum. Ipſe enim Perilluſtris Reverendiſſimus Author, STANISLAUS NICOLAUS de TOLENTINO KIESZKOWSKI Monaſterii Horodiſcenſis, ſeu Caſtro-Caſſinenſis Abbas, vel ex eo, optimum Gregis ſibi concrediti ſe monſtrat eſſe Paſtorem, quòd in hoc Opuſculo tam multa piè, ac nervoſè de Qualitatibus Paſtorum congeſſit, atq; ad Chriſti Boni Paſtoris Exemplum, ac optimum Ovium Chriſti Regimen, cunctos Animarum Paſtores ſolicitet. Dabamus in Monaſterio Sieciechovienſi 16, Menſis Maji. 1774.

PAULINUS PRASZKIEWICZ.
S. Thiæ Doctor Præpoſitus Vavolnicen: Congregationis Benedictino-Polonæ Viſitator Secundus.

P. HIERONYMUS KOWALSKI.
S. Thiæ Doctor Monaſterii Sieciechovien: Prior.

Librum cui titulus: *Forma Gregis Paſtor ex animo.* attentè legi, perutilem illum omnibus animarum Rectoribus judico, dignumquè cenſeo, qui lucem publicam aſpiciat. Dabam in Collegio Majori Univerſitatis Cracovienſis. XVII. Kalendas Auguſti. 1774.

M. JOSEPHUS ALOYSIUS PUTANOWICZ S. Th. Dr. & Prf. Eccl: Cath. Plocenſis Canonicus, Collegiatæ SS. OO. Præpoſitus, in Opatoviec Curatus, Librorum in Diæceſi Crac. Cenſor.
mpp.

INDEX
Materiarum hoc libro contentarum.


Numerus prior significat folium; posterior, numerum marginalem.

Cur

Præ-

Ex-

FINIS.


O